DE
IONE CHIO

HANC THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

F. ALLÈGRE

COLLOQUIORUM MAGISTER IN FACULTATE LITTERARUM LUGDUNENSI

PARISIIS
APUD E. LEROUX, EDITOREM
28, VIA BONAPARTE

1890

DE

IONE CHIO

DE

IONE CHIO

HANC THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

F. ALLÈGRE

COLLOQUIORUM MAGISTER IN FACULTATE LITTERARUM LUGDUNENSI

PARISIIS

APUD E. LEROUX, EDITOREM

28, VIA BONAPARTE

1890

PROŒMIUM

Ionis vita intra eos annos continetur, quibus maximo gloriæ splendore floruit Atheniensium civitas. Adolescens enim inter fortissimos illos viros vixit, qui virtute sua Persarum impetus retuderant, Athenasque vidit, profligatis apud Salamina et Platæas barbarorum exercitibus, ad libertatem renascentes et, maritimis insularum copiis præfectas, summum universæ Græciæ imperium occupantes. Dum vero Miltiadis filius, Cimo, feliciter adversus residuas Regis vires bellum persequitur periculumque ad eas oras retorquet unde profectum erat, in ipsa urbe non minus memoria digna gerebantur. Æschylus scilicet tragœdiarum suarum miracula civium oculis in theatro proponebat, et Sophocles, ætate non arte minor, cum seniore æmulo de palma contendere jam cœperat. His ingenii incitamentis in priore ætatis suæ parte Ion Athenis potuit informari; hæc summorum virorum exempla oculis subjecta habuit.

Cum autem ævi maturitatem est assecutus, novus jam in civitate rerum ordo oriri videbatur. Non modo enim urbs ipsa, sive aucta sive addita publicarum ædium magnificentia provectisque mirum in modum omnis generis artibus, pulchriorem speciem induebat, sed civitatis mores etiam et instituta, rerum gubernaculum regente Pericle, mutabantur : in plebis manus, imminuta areopagi auctoritate, jam venit summa potestas, ipsique civium animi, prioris ætatis gravitatem aspernantes, studiis opinionibusque novis immorantur. Ingens denique totius Græciæ oritur conflagratio, Pelo-

ponnensiacum bellum scilicet, quod Athenarum magnitudini mox exitiale futurum erat. At Ion, perpetua quadam felicitate usus, tam diu vixit quam licuit in civitate bene beateque vivere, et prius e vita cessit, quam e tanto laudis potentiæque fastigio dejectam videret prostratamque humi dilectam illam civitatem quam velut alteram patriam toto pectore erat amplexus.

Hujus poetæ vita, qui cum plerisque Athenarum summis viris consuetudine conjunctus est, quo tempore maxima litterarum laude floruit Græcia, digna mihi visa est quæ fusius paulo pertractaretur. Qui enim ad hoc tempus de Ione ejusque operum fragmentis disputavere, cum philologicis præsertim controversiis materiam quærerent, in constituendo fragmentorum textu præcipue elaboraverunt. Hunc ante omnia finem sibi proposuit Bentleius in *Epistola ad Millium,* quæ *Opusculis philologicis* continetur, Lipsiæ editis, 1781. Postea Nieberdingius, in editione Ionis fragmentorum, quanquam librum suum inscripsit *de Ionis Chii vita, moribus et studiis doctrinæ* (Lipsiæ 1836), paucissimis tantum paginis de poetæ vita et scribendi genere præfatus est : reliquum vero ejus opus in corrigendis Ionis fragmentis fere totum versatur. Eamdem disputandi viam secutus est Koepkius in libro *de Ionis Chii poetæ vita et fragmentis* (Berolini 1836) ; philologicis etiam conjecturis immorantur pleræque de auctore nostro dissertationes a variis doctis viris scriptæ. Excipienda tamen est F. Schœllii commentatio (*Rheinisches Museum*, 1877, p. 145 sqq. : *Ueber Ion von Chius)*, quamvis multis in locis curta sit et complementis egeat. Ceterum Schœllius satis habuisse videtur quæcumque antea de Ione scripta essent contrahere. Excipiendæ et Schneidewinii disputatio (*Philologus VIII,* 1853), qui contra Fr. Ritterum defendit Ionis auctoritatem, sed singulares tantum quæstionis partes attigit [1], et doctissima F. G. Welckerii de Ionis tragediis commentatio [2].

1. Ceteri qui de Ione aliqua scripserunt in notis hujus libelli laudabuntur.
2. *Die Griechischen Tragœdien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet,* Bonn, 1839-1841, in tertia parte, p. 937 sqq.

Itaque mihi visum est, omissis iis, in quibus ceteri elaboravere, de fragmentorum textu conjecturis, explicatius aliquid de ipsa Ionis vita posse scribi, cum præsertim non deessent veterum de eo testimonia. Tentavimus igitur Ionem inter egregios viros quibuscum vixit, atque inter medias res quarum aut testis aut aliquando particeps fuit, versantem ostendere, ita ut non modo planius perspiceretur quales fuerint ipsius poetæ vita et mores, sed etiam ante oculos haberemus eorum vivendi genus qui tum, litterarum studio non unice dediti, ingenuas tamen artes adamarent et poetis clarissimisque in quovis genere ingeniis familiariter uterentur. Sic, poeta duce, quanquam pauciora sunt ejus fragmenta, nonnihil de quotidiana vita et privatis moribus multorum virorum, quos tantum propter publicas virtutes aut ingenii excellentiam admirari consuevimus, Cimonis, Periclis, Æschyli, Sophoclis, assequi fortasse poterimus. Quanquam non potest non imperfecta atque rudis esse tot rerum, tot virorum imago, attamen vel prima lineamenta ducere operæ, ut opinor, pretium est.

Accedit quod Ion ut erat, quod quidem Ionicæ gentis proprium semper fuit et peculiare, molli ingenio et mobili natura, diversis ætatis qua vixit studiis debuit stimulari; quare duplicem colorem cum ejus vita, tum opera traxerunt. Cum in adolescentia et prima juventute Cimonis ejusque familiarium consuetudine quotidiana fruitus sit assidueque cum Æschylo et ejusdem temporis scriptoribus versatus sit, multa ex eorum indole, moribus, institutis retinuit, adversos Pericli gerens animos et in scribendo veterum vestigiis insistens. Mox vero, magna Periclis laude captus videtur aliquid ex priore in magnum civem odio remisisse et, mutatis studiis, multas ex novis opinionibus quæ Euripidis aliorumque, qui tum vigebant, scriptorum auctoritate vulgabantur, recepisse.

Hanc duplicem viri naturam non indignum esse mihi visum est propius inspicere et enotare, si forte hoc uno exemplo proposito, melius cognosci possent diversa et fere contraria studia, inter quæ distracta esse videntur illius ætatis

ingenia, intra illud paucorum annorum spatium in quo, post Persarum incursiones, et imminente jam vel incipiente Peloponnesiaco bello, novas artium litterarumque formas Græci invenerunt.

CAPUT PRIMUM

§ 1. — *De Ionis genere atque ortu.*

In insula Chio Ion natus est, et, ut verisimile est, Chium ipsam urbem patriam habuit [1]. Quo vero anno natus sit, parum constat. Nobis tamen videtur e quodam Plutarchi loco conjici posse eum intra annos 490-484 ortum esse [2]. Patri nomen erat Orthomenes [3]. Sed Athenienses, faceta gens, Ioni, ubi primum apud eos cœpit notescere, libentius lepidum cognomen *Xuthi filium* indiderunt, Chii poetæ nomen conferentes cum nomine dilectissimi herois, illius scilicet Ionis, Apolline orti, et a Xutho, ut Euripides in sua fabula memorat, pro filio adoptati [4]. Ceterum cognomen illud in gente permansit et a nonnullis Ionis posteris pro ipso nomine assumptum est, ut ex lapide Chii reperto apparet, in quo epigramma, secundo sæculo ante Chr. nat. incisum, Hermesileum quemdam memorat, Xuthi filium [5]. Si paulum attenderimus, ex

1. Ubique enim fere ὁ Χῖος simpliciter laudatur, quod animadvertit Nieberdingius, *de Ionis vita, moribus et studiis*, p. 1.
2. Vide excursum in fine hujus libelli.
3. Schol. in Aristophanis *Pacem*, 835; cf. Suidas, s. v. διθυραμβοδιδάσκαλοι; *id.*, s. v. Ἴων; Harpocrat. s. v. Ἴων.
4. Minime probabilis mihi videtur esse Welckerii conjectura qui suspicatur Ioni *Xuthi filii* cognomen esse impositum propter arrogantem habitum. Ipsum *Ion* nomen satis per se cognomen illustrat; neque credam ab uno aut altero comico poeta, ut vult Welckerius, cognomen inventum esse, sed ab universis Atheniensibus, qui herois et poetæ nominum similitudinem non animadvertere non potuerunt. (Vide Welcker, *Die griech. Tragöd.*, p. 939).
5. C. I. Gr. 2214.

hoc lapide nonnulla discere poterimus ad gentem pertinentia qua Ion oriundus erat : quæ referre operæ pretium est. Hermesileos nomen, quod lapidi insculptum est, non primum hic nobis occurrit. Namque apud Ionem ipsum legimus Sophoclem, cum adversus Samum cum Pericle collega navigasset, Chium appulisse et devertisse ad Hermesileum quemdam, hospitem suum, eumdemque Atheniensium πρόξενον [1]. Ion ipse, ut intelligitur ex ejus narratiuncula, affuit cœnæ quam Hermesileus Sophocli apposuit. Hermesileum autem illum, cujus nomen in lapide legitur, unum ex Ionis posteris fuisse inde apparet, quod *Xuthi filius* appellatur. Cum vero apud Græcos solemne esset nepotibus avorum nomen imponere, propius fidem est Hermesileum qui in epigrammate memoratur, ab eo genus traxisse quem Ion ait Sophoclis hospitem fuisse. Fieri igitur potuit ut inter Sophoclis hospitem et Ionem consanguinitatis vincula exsisterent; neque inepta proferre crediderim conjiciendo grandævum Ionis patrem, Orthomenem, cum filio epulis interfuisse. Ex his omnibus colligere licet non ignobili loco Ionem ortum esse, sed gentem ejus inter insulæ clarissimas annumeratam esse. Orthomenes ipse videtur amplas opes possedisse. Compertum enim habemus ejus filium, post victoriam Athenis in scena reportatam, iis largitionibus sibi populum devinxisse, quibus non nisi ingentes fortunæ potuerint sufficere [2]. Quid vero? cum videmus Ionem Athenis optimatium ducibus, Cimone et ceteris familiariter uti, hoc, ni fallor, indicium est Orthomenem eadem Chii auctoritate viguisse qua Cimon Athenis et unum ex principibus fuisse qui Strati, acceptissimo Persis tyranno, sunt adversati [3] et post Mycalensem pugnam, summam in insula potestatem adepti, cum Atheniensibus fœdus Chiorum nomine fecerunt [4].

1. C. Mueller, *Fragm. histor. Græcor.*, p. 46 : Ἑρμεσίλεω δὲ ξένου οἱ ἐόντος καὶ προξένου Ἀθηναίων, ἑστιῶντος αὐτόν.
2. Athenæus, I, 3 f. ; cf. Aristoph. schol. ad *Pacem* 835.
3. Herodotus, IX, 132.
4. Herodotus, IX, 105.

§ 2. — *Ion Athenas primum advenit. Summatim exponitur quæ tunc fuerit cum Chii tum Athenis educandorum puerorum ratio.*

Cum Athenas Ion primum venit, anno circiter 476 [1], παντάπασι μειράκιον erat, ut ipse ait apud Plutarchum [2], id est adolescentulus, annos fere quindecim natus. Quo autem consilio pater eum Athenas mitteret vix dubium esse potest : sperabat scilicet Orthomenes adolescentem apud humanissimam illam gentem, meliorem quam in patria disciplinam inventurum et se perfectioribus studiis ad litteras informaturum. Quanquam non deerant quidem Chii in urbe liberalium artium magistri. Imo, beneficio quodam divino, non modo natura soli, vitibus et vino, sed etiam incolarum ingenio, ad omnis generis studia aptissimo, inter Ægæi maris insulas Chios excellere videbatur : quippe quæ, tum propter magnam et illustrem artificum copiam emineret [3], tum litterarum laude quondam inclaruisset. Cum tot de Homeri patria urbes certarent, sola præ ceteris magnum vatem genuisse Chios a plurimis existimabatur, exstiteratque in ea jam antiquitus continua poetarum series qui recitanda ejus poemata susceperant et per manus pie religioseque tradenda, nova ipsi componentes, et, ut Homerus ipse, insulas visentes, Delum præsertim, ut cantus suos inter sacra publica ludicrorumque certamina exhiberent [4]. Itaque non mirandum est si mature scholæ Chii institutæ sunt, in quibus pueri ea quæ ad musicam et ad gymnasticam artem pertinent docebantur. Jam, quo tempore Ionia Persarum jugum cœpit excutere, studebant litteris, in quodam urbis ludo, centum et viginti pueri, cho-

1. Vide excursum in fine hujus libelli.
2. Plutarch., *Cimon* IX.
3. Inter quos anmunerandi sunt Achermos cum duobus filiis, Atheni et Bupalo, imprimisque Glaucus, qui novam efficiendorum simulacrorum viam artificibus aperuit.
4. Vide quæ de Homeridis scripsit M. Croiset, *Histoire de la Littérat. grecque*, I, p. 403 sqq.; cf. Thucydidem, III, 104; *Hymn. ad Apoll. Delium*, in fine.

rusque centum adolescentium Delphos ex insula missus est [1]. Persico bello paulo post vastata, iterumque anno 412 ab ipsis Atheniensibus direpta [2], in omnium rerum naufragio Chios litterarum artiumque studium non omisit; sed, postquam tantis calamitatibus enatavit rursusque fortuna visa est arridere, scholæ instauratæ sunt.

Quam autem in his ludis disciplinam pueri et adolescentes acciperent, ex epigrammate quod supra memoravimus [3], facile possumus intelligere : singula enim in eo enumerantur ad quæ quæque discipulorum ætas exercebatur. Exercitationes de quibus in lapide fit mentio, partim musicæ, partim gymnicæ erant. Ad musicas pertinebant ἀναγνώσεις, ῥαψωδίαι, in quibus jam inde ab Homeridis Chii homines excellebant [4]; ψαλμός et κιθαρισμός; ad gymnicas, cursus qui dicuntur δόλιχος, στάδιον, δίαυλος, et varia luctationis genera, πάλη et πυγμή. Quæ omnia certamina publice et sub Herculis Musarumque auspiciis celebrabantur.

Cognito quæ esset apud Chios adolescentium puerorumque disciplina, discimus simul quibus jam studiis excultus Athenas Ion advenerit. Quis enim non videt his certaminibus eum cum æqualibus interfuisse, sæpius ad lyram cecinisse Homeri poemata, et seu velocitate pedum, seu lacertorum robore de palma in arena contendisse?

Qui vero fit ut Orthomenes, oblata educandi in ipsa insula filii facultate tanta, Ionem patriam relinquere voluerit? Quia nimirum in tali re minus ponderis habet magistrorum numerus quam prudentia. Quod si de Chiorum magistrorum humanitate et litteris judicium facimus ex inepto illo homine quem Sophocles apud Hermesileum inter epulas adeo facete salibus suis aspersit [5], fateamur necesse est eos parum

1. Herodotus, VI, 27.
2. Thucyd. VIII, 24.
3. Vide supra, p. 1.
4. *C. I. Gr.* 2214, cum commentario; in *C. I. Gr.* 2221 memoratur gymnasium Homereum.
5. Vide totum Ionis locum apud C. Mueller, *Fragm. Historic. græc.*, p. 46 et in fine hujus libelli.

emunctæ naris, ut dicitur, viros fuisse, et confidentiæ multo plus habuisse quam doctrinæ. Ceterum, ipsa educandorum puerorum ratio quæ apud Athenienses vigebat, quanquam levius res consideranti non multum absimilis videri potest ei quam ab Ionibus adhibitam esse videmus, serius tamen quiddam et salubrius habebat [1]. Apud Ionas enim hanc sibi præcipuum finem puerorum disciplina proponebat ut, sive sacris publicis, sive privatis epulationibus jucunditatem aliquam afferret, neque ea gravitate unquam fuit qua bene morati aut acris judicii viri possent informari [2]. Adde etiam Lydiorum hominum, deliciis diffluentium, propinquitatem et exemplum, juventuti haud dubie perniciosum. Athenienses contra magistri, quasi inter eos convenisset, curare videbantur ut e gymnasiis non vanis artibus et omnibus elegantiis exornati adolescentes evaderent, sed, æquabiliter quodammodo auctis animi corporisque viribus, cives, gravibus simul et decoris instructi moribus : quam profecto disciplinam sanæ mentis patrem prætulisse non mirum est.

Quid vero? adolescentium vere magistri tum dici poterant non ii qui in scholis præcepta dabant, sed multo magis quicumque in civitate viri virtute sua aut ingenii gloria eminebant : ad quorum exemplar sese regere juvenes assueverant ut eorum laudes imitarentur sive in tractandis rebus publicis, sive in theatro, sive in alio litterarum genere vires suas experiri mallent. Qua vero in civitate plures tum illustres viri occurrebant, quam Athenis, quæ tanquam florida novitate, post victorias suas, renascentes, in se jam universæ Græciæ oculos convertebant, et ad se, velut ad πανήγυριν, attrahebant quidquid in orbe erat divitiarum, ingenii et laudis omnis generis? In qua alia invenires, ut de magnis ducibus loquar, alterum Themistoclem, Aristidem, Cimonem; ut de poetis, alterum Æschylum, alterum Simonidem? At præsertim, quo nihil advenis jucundius esse poterat, Athenas commendabant

1. Vide Paul Girard, *L'éducation Athénienne au* IVe *et au* Ve *siècles.*
2. Vid. Bernhardy, *Gründr. der griech. Litterat.* I. vol. (1876), p. 64, quem hic ducem sequimur.

morum illa facilitas et judicii subtilitas, comitas illa sermonum amantissima quæ tum in levibus lepidisque rebus, tum in seriis gravibusque controversiis delectatur, et qua multo magis fortasse animi proficiunt, quam severis strictisque præceptorum adjumentis.

Quanquam ea ipsa adjumenta Athenis non deficiebant : testis est Lasus Hermionensis, apud quem Pindarus jam artis suæ elementa didicerat; testes Apollodorus et Agathocles, testes in primis Damon et Pythoclides qui, sub levi musicorum specie, eximiam philosophorum gravitatem et doctrinam recondebant, juvenemque Periclem ad rem publicam gerendam informare cœperant [1].

§ 3. — *Inter Ionem et Cimonem oritur amicitia; Ionis cum Æschylo et Sophocle consuetudo.*

Quæ cum ita essent, non mirum est Orthomenem, præsertim cum magnis divitiarum facultatibus abundaret, filium ad eam civitatem mittere non dubitasse, in qua tot eximiorum virorum commercio omnibusque studiorum commodis frui posset. Ceterum Ioni Athenis degenti non defuturos sciebat qui adolescentulum consiliis suis, opera, auctoritate sua adjuvarent, omniumque rerum inexperto invigilarent. Cum Hermesileo enim, Atheniensium in insula Chio publico hospite, consanguinitatis vinculis conjunctus, confidebat Athenas advenienti filio apertum iri Atheniensem domum aliquam, in quam Hermesilei commendatione receptus omnes paternæ domus commoditates inventurus esset. Quæ quidem res ita, ut rebatur Orthomenes, se habuit. Laomedon quidam Atheniensis, aliunde non nobis notus, sed qui familiariter viris tum in republica florentibus videtur usus esse, Ionem hospitio excepit comiter. In ejus domo nostrum inter primos civitatis cives versatum esse

1. Plutarchus, *Pericles* IV.

legimus, et convivio affuisse in honorem Cimonis instituto, qui ex Orientis regionibus post Byzantium captum, ut licet conjicere, tum Athenas redierat. Hic Ion magnum ducem audivit, cum inter amicos nugaretur et discinctus inter pocula luderet, præclare a se in bello adversus Persas gesta memorantem; audivit narrantem quo dolo non illepido, post oppidi expugnationem, providisset ut meliorem prædæ partem Athenienses acciperent, sociorum vero avaritia deciperetur; necnon ad citharam canentis voce delectatus est, in qua arte convivis excellere vir egregius adeo visus est, ut omnes eum laudarent, et Themistocli, qui jam tum Atheniensibus propter superbiam invidiæ esse incipiebat, ingenii delectamentis longe anteponendum esse profiterentur [1].

Sic nostro, primo statim Athenas adventu, in domo hospitis delineata totius civitatis brevis imago proponebatur; poterat in rebus ipsis deprehendere quam varia tum Atheniensium vita esset, quam urbanis sermonum et conviviorum illecebris ornata, quam militari gloriæ intenta, quantis simul jam factionum simultatibus divisa et distracta. Nec miror animo adolescentis altissime impressam diu remansisse earum, quibus interfuerat, quas audiverat, rerum memoriam. At Cimo ante alios concinnitate et humanitate sua teneram nostri mentem sibi videtur devinxisse [2], cum præsertim magni illius ducis virtutes gratiores etiam essent propter decoram corporis speciem, atque animi dotes ipsa hominis facie, statura ingenti, crisporum capillorum pulchritudine commendarentur [3]. Ceterum, jam pridem erga Ionis populares propensa voluntate erat Cimon, quod quidem ipse paucis

1. Plutarch., *Cimon*, IX.

2. Plutarch., *Pericles*, V : ἐπαινεῖ δὲ (ὁ ποιητὴς Ἴων) τὸ Κίμωνος ἐμμελὲς καὶ ὑγρὸν καὶ μεμουσωμένον ἐν ταῖς περιφοραῖς. Stesimbrotus Thasius alia refert, omnino iis quæ scribit Ion, contraria : φησὶν αὐτὸν οὔτε μουσικὴν οὔτε ἄλλο τι μάθημα τῶν ἐλευθερίων καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἐπιχωριαζόντων ἐκδιδαχθῆναι. (Plut., *Cimon*, IV). Sed ad rem nostram nihil refert uter vera dixerit. Non enim de Cimone ipso judicium facimus, sed quærimus quid Ion ipse de Cimone senserit. Quid autem senserit, ex Plutarchi loco minime dubium esse potest.

3. Ἦν δὲ καὶ τὴν ἰδέαν οὐ μεμπτὸς, ὡς Ἴων ὁ ποιητής φησιν, ἀλλὰ μέγας, οὔλῃ καὶ πολλῇ τριχὶ κομῶν τὴν κεφαλήν. (Plut., *Cimon*, IV).

post annis aperte declaravit, cum, Phaselitis iratus in quos jamjam erat animadversurus quod Atheniensium imperium respuerent, Chiorum precibus ad mitiores sensus revocatus est et suum Phaselitis crimen condonavit [1]. Imo vero, ab universis Atheniensibus accurate observatos esse Chios satis ex eo constat, quod illi inter socios soli cum Samiis Lebiisque sui juris esse non desierant et tributorum erant immunes [2]; nec fortasse Cimoni indignum visum est humanioribus ad se moribus allicere filium unius e principibus hujus insulæ, quæ Atheniensibus præsidium in longinquis regionibus adversus barbaros paratum videbatur, et cujus studia sibi devincire magnopere studebant. Utcumque se ea res habet, pro certo haberi potest jam inde inter eximium ducem egregiumque juvenem exstitisse mutuæ quoddam benevolentiæ studium, quod brevi arctioribus amicitiæ vinculis confirmatum est. Adolescenti Cimo auctoritatis suæ auxilium apud nobilissimos civitatis viros, amicos suos, præstitit, ut paterent illi Athenarum domus clarissimæ; Ionem contra Cimonis partibus videbimus mox se addixisse, donec, defuncto magno duce fractisque optimatium opibus, Periclis consiliorum magnitudine captus est atque illi destitit adversari.

Nondum vero ea erat Ionis ætas in quam caderent negotia et rerum publicarum cura, sed litterarum studio nimirum potius detinebatur. Quos autem magistros Ion audiverit admodum incertum est. Attamen consentaneum est eum in Cimonis domo multos egregios viros convenisse, quorum sermones ad informandum juvenis animum haud dubie plurimum valuerunt. Videtur præsertim cum Æschylo, qui tum atticæ scenæ arbiter habebatur, consuetudinem conjunxisse : quod e Plutarchi loco intelligi potest, in quo memoratur Ionem et Æschylum isthmiacis ludis una affuisse. Ad spectandum juxta assederant, pugilatum intuentes; cumque ad vulnus pugnantium alterius qui aderant universi cum cla-

1. Plutarch., *Cimon*, XII.
2. Grote, *Hist. grecque*, VIII, p. 4, in gallica translatione.

more surrexissent, Ionem cubito tangens Æschylus : « Videsne, inquit, quanta sit exercitationis vis? Qui vulnus accepit tacet; clamant vero qui spectant [1] ». Quid significare vellet his verbis Æschylus haud facile est deprehendere, sed ipse poetæ gestus, amici latus cubito pulsantis, aperte declarat quam valde familiariter viverent. Magnus vir multa nostro de vitæ suæ factis nimirum narraverat, quorum ille memoriam in libris suis religiose servaverat : qui si non fere penitus periissent, quam juvaret nunc ipsum Æschylum audire de tragica arte cum amico disserentem, aut egregia Græcorum et ipsius apud Salamina facinora referentem [2].

Inter Sophoclem etiam et Ionem si quis conjecerit consuetudinem exstitisse, non infitias ibo. Etsi enim Plutarchus Æschylum prodidit iracundiam aliquam concepisse [3], quod Sophocles scenæ pæne rudis et tiro in tragico certamine eum vicisset [4], contentio quæ inter nobiles poetas orta erat ab invidia sane prorsus aliena fuit; non æmulus magis quam discipulus Æschyli Sophocles erat [5] et poterat noster utrique esse familiaris. Ætatem adde, qua fere æquales erant Ion et Sophocles; adde illam Sophoclis humanitatem et facilem commercio indolem, nec jam miraberis nostrum cum poeta amicitiam contraxisse : quod ita re ipsa fuisse inde ceterum

1. Plutarch., *de Profect. in virt.* VIII : « Αἴσχυλος μὲν γὰρ Ἰσθμοῖ θεώμενος ἀγῶνα πυκτῶν, ἐπεὶ πληγέντος ἑτέρου τὸ θέατρον ἐξέκραγε, νύξας Ἴωνα τὸν Χῖον · ὁρᾷς, ἔφη, οἷον ἡ ἄσκησίς ἐστιν; ὁ πεπληγὼς σιωπᾷ, οἱ δὲ θεώμενοι βοῶσι. » Cf. Stobæum, *Floril.* XIX, 89. — Quanquam e veterum testimoniis non apparet jam inde ab adolescentia Ionem cum Æschylo esse conjunctum, minime tamen incertum mihi videtur esse eum, propter magnum suum litterarum amorem, non neglixisse cum scenæ atticæ magistro, ubi primum potuerit, consuetudinem instituere : quod per Cimonem facile fieri potuit.

2. Schol. ad *Persas*, v. 401 : Ἴων ἐν ταῖς Ἐπιδημίαις παρεῖναι Αἰσχύλον ἐν τοῖς Σαλαμινιακοῖς φησίν. Schneidevinus (*Philologus* VIII, p. 733 sqq.) ex Ionis libris profecta esse putat multa ex eis quæ de Æschyli vita et moribus nobis tradita sunt. Ex eorum numero sunt quæ narrantur a Pausania, I, 21, 3; a Porphyrio, *de Abstin.*, 2, 18; ab Athenæo VII, 347 e, etc.

3. Plutarch., *Cimon*, VIII.

4. Ol. 77, 4 (469/8).

5. Biogr. anonym. : παρ Αἰσχύλῳ δὲ τὴν τραγῳδίαν ἔμαθε. — Non reliquit Athenas post cladem suam Æschylus, ut Plutarchus ait (*Cimon*, VIII); nam sequenti anno in theatro victoriam reportavit *tetralogia* cujus partem *Septem* efficiebant. (Vide Bergk, *Griech. Liter.*, III, p. 281).

elucet, quod cœnæ, Chii apud Ionis cognatum quemdam habitæ, una accubuerunt [1] et de summi viri moribus atque indole judicium Ion reliquit quod ferre non potuisset, nisi sæpe atque diu familiariter eum Athenis convenisset [2].

Neque mehercule possum adolescentis felicitatem non admirari, qui præstantissimorum qui unquam fuere poetarum opera in scena spectaverit; qui Simonidem, ut alios taceam quorum nomina proferre sit longius, viderit; qui Anaxagoræ, adolescentia tum florente, sermonibus potuerit adesse; cui, ut paucis omnia complectar, iis temporibus vivere datum sit, iis summorum virorum amicitiis frui, quorum gratia quidquid Athenæ tum, sive in bello, sive in litteris, sive in artibus egregium tulere, intueri oculis potuerit et ad incolendum ingenium suum derivare [3].

§ 4. — *De remissioribus Ionis in adolescentia moribus.*

Ut Ioni Athenis degenti non deerant studiorum incitamenta, ita abundabant etiam vitæ oblectamenta, quibus a gravioribus occupationibus distraheretur, et voluptatum deliciarumque copia quæ juvenilem animum allicerent. In hoc igitur ætatis flexu, cum se profundit primum cupiditatum impetus, peracto jam eorum, quibus adolescentes detinentur, primo studiorum cursu, ad liberiorem remissioremque noster vivendi modum se contulisse videtur, neque ea virtutis indole aut continentiæ fuisse, ut omnes voluptates, convivia, amores, respueret.

1. De cœna apud Hermesileum habita vide totum Athenæi locum, in fine hujus libelli laudatum.

2. Athenæus, ipsa Ionis verba laudans, XIII, p. 604 d. : τοιαῦτα πολλὰ δεξιῶς ἔλεγέ τε καὶ ἔπρησσεν, ὅτε πίνοι ἢ πράσσοι (l. παίζοι ?). Τὰ μέντοι πολιτικὰ οὔτε σοφὸς οὔτε ῥεκτήριος ἦν, ἀλλ' ὡς ἄν τις εἷς τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων. Vim optativi (πίνοι, πράσσοι) animadverte.

3. Num familiariter Euripide, multo juniore, usus sit Ion, incertum est. Conjecit tamen Welckerius ex epigrammate de Euripidis morte Ioni falso quidem tributo, tributo tamen, aliquam inter eos potuisse exsistere consuetudinem. (Welcker, *Die griech. Trag.*, p. 958.)

Ceterum caveamus ne tristiores in ea re Ioni judices exsistamus : præterquam quod omnium concessu datur huic ætati ludus aliquis et junioribus quædam ignoscunt etiam austeri viri, reputemus haud facile nostro fuisse exemplorum, quæ ante oculos proposita habebat, vim effugere. Non jure, equidem fateor, is agere videatur qui de Atheniensium virorum mulierumque sanctitate et castimonia judicium facere instituat ex solis auctoribus quorum scriptis de temporum illorum moribus aliquid nobis traditum est. Eorum enim plerique sunt comœdiarum scriptores, gens maledicentissima natura, neque unquam fere æquo animo res æstimare solita, qui sibi præcipuum finem proponant ut malignitate sua spectatores detineant et salibus suis cum nobilissimi cujusque detrimento plausus commoveant. Quis, ut exemplo utar, nisi severa correctione et exceptione adhibita, fidem adhibeat iis quæ Plutarchus, poetas qui tum vigebant auctores secutus, de Periclis libidinibus et protervitate refert [1]? Eæ nimirum calumniæ meræ sunt malevolorum hominum, multitudinis invidiæ tanquam deo cuidam, ut ipse Plutarchus ait, quotidie sacrificantium. At omissis tot conviciorum aculeis qui, sive ex privatis, sive ex publicis odiis profecti, in potentiorum civium mores jaciebantur, quis est qui non fateatur Atheniensium gravitati et continentiæ damni aliquid attulisse cum perpetuas illas πανηγύρεις, ludos publicos sine intermissione, ut ita dicam, celebratos et frequentissima nocturnorum orgiorum sacra, tum advenarum ex orientalibus regionibus Athenas, sive faciendæ mercaturæ, sive voluptatum causa, confluentium infinitam multitudinem, secum Asiæ luxuriam afferentium? Satis sit Pausaniam, Lacedæmoniorum regem, memorare : quo ab uno fas est discere qua multi protervitate morum laboraverint. Adde denique Milesias Ephesiasque meretrices, quæ sive formæ pulchritudine, sive etiam illecebris ingenii omnibus elegantiarum artiumque munditiis exor-

1. Vide præsertim Plutarchum, *Pericles*, XIII; et in *Fragm. comic. græc.*, Didot, p. 36, Hermippi locum; ibid., p. 163, Eupolidis fabulæ quæ Δῆμοι inscripta est, fragm. 9, 10 et 13.

nati, Atheniensium virorum animos aggrediebantur et ad se attrahebant : quarum cum nonnullæ dicantur, jam Medicorum bellorum tempore, apud magnarum civitatum principes auctoritate maxima valuisse [1], nulla tamen clarior exstitit et in re publica potentior, quam Aspasia illa, quæ, quamvis postea magnis virtutibus et fide in connubio haud ambigua, præteritæ vitæ maculam abluerit, exemplum tamen illustre præbet vel maximos ea ætate Athenarum viros cum voluptate dignitatem conjungi posse putavisse.

At præsertim ille amicorum cœtus in quem Ion cooptatus erat ubi primum Athenas venerat, non alienus fuisse videtur a liberiore et hilariore vivendi genere : atque noster, si quando voluit a via aberrare, exempli excusationem in ipsa Cimonis domo potuit invenire. Non loquor de opprobriis quæ de Cimone ipso et ejus sorore Elpinice narrabantur, in quibus, ut Plutarcho placet, latere opinor interpretum ignorantiam, Atheniensium quædam instituta prave intelligentium [2]. At Cimonem constat apud æquales et populares suos male audivisse quod ad morum severitatem attinet, et ad res amatorias fuisse propensiorem [3]. Melanthius poeta in elegiacis carminibus jocosum in modum compositis, Asteriam quamdam commemorabat, Salaminiacam mulierem, et quamdam Mnestram, quas Cimo adamare ferebatur. Melanthii autem testimonium non rejiciendum esse ex eo manifestum est, quod ad Cimonem ipsum poeta carmina sua miserat, nedum in eum acerba convicia conflare conaretur; neque profecto Cimon ipse poetæ irascebatur, contentus ridere et largitione aliqua ejus operam remunerari [4]. Tradit etiam Plutarchus Cimonem in Isodicem, Euryptolemi filiam, ita vehementi amore esse

1. Milesia Thargelia, ut exemplo utar. Vide E. Curtium, *Histoire grecque* (Bouché Leclercq) II, p. 295.

2. Plutarch., *Cimon*, IV.

3. Plutarch., *Cimon*, IV : τὸν πρῶτον ἠδόξει χρόνον ἐν τῇ πόλει, καὶ κακῶς ἤκουεν ὡς ἄτακτος καὶ πολυπότης... Ὅλως φαίνεται τοῖς περὶ τὰς γυναῖκας ἐρωτικοῖς ὁ Κίμων ἔνοχος γενέσθαι

4. Plutarch., *Cimon.*, IV : Ἀστερίας... καὶ Μνήστρας τινὸς ὁ ποιητὴς Μελάνθιος μνημονεύει πρὸς τὸν Κίμωνα παίζων δι' ἐλεγείας, ὡς σπουδαζομένων ὑπ' αὐτοῦ.

accensum, ut ex ejus morte acerbissimum et vix tolerabilem dolorem conceperit, ad quem levandum Archelaus philosophus elegos mœrenti miserit [1]. Quid de Elpinice dicam, Cimonis sorore, cujus etiam famam scimus ad metas plurimum hæsisse? Ut illum Calliæ amorem [2], ut Polygnoti flammam [3] taceam, pro certo haberi potest eam non nihil festivitatis præ se tulisse et lasciviæ paulo plus habuisse quam matronam decuit. Eam enim legimus, postquam etiam formæ dignitas annis defloruisset, ad Periclem, Cimonis accusatorem, adiisse, ut non precibus solum, sed etiam venustatis suæ illecebris acerbum ejus odium mitigaret [4]; eamdem et scimus munditiis fuco et unguentis in ea ætate non abstinuisse, in qua ceteræ ornamenta omnia respuere solent quæ cum graviore matronarum habitu parum congruunt [5].

Accedit quod Cimo, postquam victoriis suis pristinum do-

1. Plutarch., *Cimon*, IV. Zeller, *Philosophie des Grecs*, in translatione gallica, III, p. 56, n. 2, negat ad Archelaum philosophum hæc spectare; sed res ipsa vix dubia esse potest. Fuitne Isodice Cimonis uxor legitima? Ambigua sunt Plutarchi verba : κατὰ τοὺς νόμους δ'αὐτῷ συμβιώσασαν. Ea forte fuit ejus generis pellex, quas pro conjugibus habere cives Atheniensium leges patiebantur.

2. Plutarch., *Cimon*, IV. Ditissimus Atheniensis Callias Elpinicæ amore captus, Miltiadis mulctam solvisse dicitur, ut a Cimone sororem conjugem obtineret.

3. Tradit Plutarchus (*Cimon*, IV), nescio quo testimonio fretus, Polygnotum Elpinicæ amore incensum fuisse, et, cum Pœcilem pictis Trojanarum captivarum figuris exornaret, Laodicem sub Elpinicæ specie repræsentavisse. At in hoc Plutarchi loco manifestus error deprehenditur, ita ut totam illam de Polygnoto et Elpinice historiolam multa, si minus omnia, falsa continere non negaverim. Ait enim Plutarchus mutuam Elpinicæ et Polygnoti flammam ante exarsisse, quam Calliæ illa nupsisset. Non attendit Plutarchus se antea dixisse Cimonem, antequam cum Callia matrimonio jungeretur Elpinice, fortunis omnino destitutum fuisse : unde efficitur Cimonem non potuisse tum urbem decorare monumentis illis et picturis ad quæ perficienda Polygnotum Thaso arcessisse dicitur. Magnifica illa opera tantum post Cimonis apud Eurymedontem victoriam, anno 465, fieri cœpta sunt. Itaque si verum est Elpinicæ cum Polygnoto intercessisse familiaritatem et consuetudinem, non prius intercessit ea, quam Calliæ nupsisset Elpinice.

4. Plutarch., *Cimon*, XIV. Narrat Stesimbrotus Periclem subridentem : γραῦς εἶ, φάναι, γραῦς, ὦ Ἐλπινίκη, ὡς τηλικαῦτα διαπράττεσθαι πράγματα. Stesimbroti testimonium ab omni suspicione vacuum eo magis mihi videtur esse, quod a Cimonis partibus ille stabat. Quod si rem, quæ Elpinicæ famam attereret potius quam augeret, Pericli vero honesta videri posset, referre non dubitavit, ea nimirum vera est, et idcirco a Stesimbroto narrata est, quod, cum esset omnibus notissima, non poterat omitti.

5. Plutarch., *Pericles*, XXVIII.

mus suæ splendorem et magnificentiam refecerat [1], ad se multos contraxerat e nobilissimis civitatis gentibus juvenes [2] qui in locupletes magni ducis ædes et amœnos hortos conveniebant, ut regio hospitio excepti lautissimis mensarum apparatibus accumberent et iis epularum fruerentur voluptatibus, a quibus herum ipsum non abhorruisse constat [3]. Illo in circulo, illa inter convivia Ionem sæpissime versatum esse quis neget? Multa, equidem fateor, sæpe dicta esse præclare inter convivas crediderim, cum præsertim epulis adessent summi viri, Cimonis amici, Polygnotus ille et Micon et Panænius ejusque frater Phidias et tot alii quos nostro contigit ut de arte in qua florebant, aut de operibus quæ tum Athenis perficiebant, scite simul et jucunde disserentes audiret. Quid vero, cum accumbebant alii, non ingenio sane neque sermonum lepore destituti, sed moribus et dignitate parum spectati, ut Melanthius ille, Cimonis amorum laudator, qui veteris comœdiæ flagellis vapulavit, ut bonarum cœnarum assectator, garrulus et libidinis immodicus [4].

Ut egregiarum artium, ita vitiorum et libidinum exemplis quæ ejus oculis proponebantur, quomodo noster potuisset se subducere, ad quæ imitanda cum ætas, tum Cimonis auctoritas eum hortabatur? Aliquid igitur e studiorum contentione Ionem in prima juventute remisisse non est quod miremur. Quod ita re ipsa fuisse etiam ex Batone Sinopensi, qui de

1. Quod jam post Mycalensem pugnam fieri potuit. Tum enim ad Cherronesum Atheniensium classis deducta est. « Elle était impatiente de rétablir l'ascendant d'Athènes et de reprendre les biens des citoyens athéniens de la Chersonèse. Probablement un grand nombre des principaux personnages et en particulier Cimon, fils de Miltiade, avaient là des possessions étendues à recouvrer. » Grote, VII, p. 158, in gallica translatione.

2. Plutarch., *Cimon*, XVII; cf. *Pericles*, X.

3. Plutarch., *Cimon*, IV. Cf. apud Cratinum (*Comic. græc. fragm.*, Didot, p. 7) scribæ Metrobii votum : « Equidem ipse sperabam, Metrobius scriba, me cum viro divino atque hospitalissimo omniumque olim Græcorum optimo, Cimone, felici senectute convivantem, totam vitam ducturum esse. Sed ille me deserens abiit prior. »

4. Optabat ille ciconiæ collum ut diutius sapore frueretur eorum quæ deglutiebat. Archippus comicus eum tradebat devorandum piscibus adversus homines gulæ deditos rebellantibus. Cf. Plutarch., *Cimon*, IV, et *Comic. græc. fragm.* Didot, p. 108, 154, 173 etc.; cf. Athenæum I, 6, c; XII, 549, a; VIII, 343, c.

nostro librum scripserat, intelligimus. Ille enim iisdem fere verbis, quibus Cimonis natura depicta est, ad effingendos Ionis mores utitur : φιλοπότης, inquit, Ion erat [1]. Ælianus quoque tradit Ionem intemperantem ad bibendum se ostendisse [2]. Huic vero crimini num quid veri inesset in dubium vocavere quidam ; inter quos Schoellius nihil aliud Batonis aut Æliani verbis significari putat, si quis velit ad veterum auctorum scribendi morem attendere, nisi Ionem in carminibus suis de propinationibus et conviviis sæpe egisse, neque habendam rationem esse fragmentorum, cum ea fere omnia nobis a scriptoribus tradita sint, qui soliti sint ejus generis argumenta in libris suis ipsi tractare [3]. Quid vero? verbo φιλοπότης, aut Æliani loco αὐτόν φασι περὶ τὸν οἶνον ἀκρατῶς ἔχειν, nihil inesse quod ad Ionis mores pertineat quis est qui putet? Quis possit contendere ista de litteris, de carminum argumentis tantum esse dicta? Quod si ἀκόλαστος et φιλοπότης is jure vocatur qui Bacchum et Venerem, Baccho ipse et Venere abstinens, carminibus suis celebrat, quis unquam dignior exstitit quam Anacreon, qui hoc nomine appellaretur, cujus tamen mores ab Æliano ipso ita videmus defendi, ut moderatos et frugi. « Per deos immortales, inquit, ne quis de Teio poeta maledice dicat; caveat quis ne eum intemperantiæ arguat [4]! » Plato autem eumdem poetam σοφόν appellare non dubitavit [5]. Etenim ne veteres quidem fugiebat non semper tales poetarum mores esse, qualia erant carminum argumenta, neque ullam causam invenire me fateor, cur de scriptis eorum dicta esse aliquis intelligat, quæ de eorum indole viri critici protulerunt. Quod si non Ionis morum gravitati adversatur, quod

1. Athenæus, X, 436, f.
2. Ælianus, *Var. Histor.* II, 41, 4 : αὐτόν φασι περὶ τὸν οἶνον ἀκρατῶς ἔχειν. Æliani testimonium eo majorem auctoritatem mihi habere videtur, quod in loco laudato eos tantum recenset qui propter magnum vini amorem famosi erant.
3. F. Schoell, *Ueber Ion von Chius* (*Rheinisches Museum*, 1871, p. 147).
4. Ælianus, IX, 4. Animadvertendum est tamen in loco laudato Ælianum de rebus venereis tantum esse locutum.
5. Plato, *Phædrus*, 235 c.

ejus carminum fragmenta ad nos pervenerunt eorum libris inclusa qui præsertim e conviviis materiam suam hauserunt, quis tamen audeat contendere tali argumento posse defendi nostrum sobrio et temperanti victu usum esse? Ne eam igitur indolis severitatem Ioni tribuamus, quam neque ipsa poetæ origo, neque temporum quibus vixit instituta recipiunt. Chii natus est Ion, in insula propter excellentiam vini notissima, cujus nostrum sagacem æstimatorem fuisse ipsum illud ostendit, quod, quadam die, ut victoriam in tragico certamine a se reportatam celebraret, fictilia Chio vino plena Atheniensibus dono dedit. Neque profecto ipse lagioribus illis, quorum ceteris copiam faciebat, poculis abstinuit. Quod si quis arbitretur hunc vini amorem Ioni probro fuisse apud æquales, reputet is nullam inde traxisse infamiam Æschylum, Ionis amicum, et Platonem in *Convivio* non dubitasse temulentos inducere urbanissimos Athenarum viros.

Quod pertinet ad amores Ionis quem ἐρωτικώτατον Bato Sinopensis vocat, confitentem, ut ita dicam, reum habemus, cum ipsius poetæ verbis Batonis testimonium innitatur. « In elegiacis carminibus, inquit Bato, confitetur Ion se Chrysillæ, Telei filiæ, Corinthiæ mulieris, amore captum esse, quam amicam fuisse Periclis Olympii Teleclides in *Hesiodis* ait [1]. » Equidem fateor, si una Chrysilla Ionis amica fuit, non est quod ἐρωτικώτατον eum appellet Bato. At quis non videt in multas alias nostrum exarsisse, inter quas unam Chrysillam memorat vir Sinopensis, quod Periclis etiam, cujus vel minima facta noscere operæ pretium est, amorem illa incenderat? Quid vero? In amore quoque Ion Periclis adversarius? exclamat Koepkius [2]. Quidni, quæso? Non eam semper morum

1. Athenæus, X, 436, e. Totus Athenæi locus hic est : Βάτων δ'ὁ Σινοπεὺς ἐν τοῖς περὶ Ἴωνος τοῦ ποιητοῦ φιλοπότην φησὶ γενέσθαι καὶ ἐρωτικώτατον τὸν Ἴωνα. Καὶ αὐτὸς δὲ ἐν τοῖς ἐλεγείοις ἐρᾶν μὲν ὁμολογεῖ Χρυσίλλης τῆς Κορινθίας, Τελέου δὲ θυγατρός· ἧς καὶ Περικλέα τὸν Ὀλύμπιον ἐρᾶν φησὶ Τελεκλείδης ἐν Ἡσιόδοις. Verba Τελέου δὲ θυγατρός Bergkius arbitratur finem esse elegiaci versus (Bergk, Ionis fragm. in *Lyr. græc.*) Minime probabilem esse puto Welckerii conjecturam, Teleclidem scilicet per fictum *Chrysillæ* nomen Periclis avaritiæ alludere tantum voluisse. (Welcker, *die Griech. Tragæd.*, p. 941).

2. Koepke, *de Ionis vita et fragm.*, p. 9.

austeritatem Pericles præ se tulit, qua apud Athenienses postea fuit insignis, ubi primum summam potestatem in civitate captare cœpit. Prius enim, ante annum 467 scilicet, liberiorem vitam agebat, neque epulas neque ceteras voluptates quæ ejusdem generis sunt, refugiens, neque a cetera Athenarum juventute institutis suis dissentiens [1]. Illo autem tempore par erat Ionis et Periclis ætas, pares cupidines. Quid mirum igitur si, cum uterque convivia, commissationes, cantus, cottabos, Corinthum sectaretur, in ejusdem mulieris familiaritatem atque amorem convenerunt, in cujus domum jure suo libidines plurimorum haud dubie commeabant? Neque, opinor, in hujusmodi rebus rempublicam memorare opus est, et civilium partium odia et publicarum simultatum incendia : culpanda est una in utraque par æmulorum adolescentia, culpanda sola Chrysillæ venustas.

Fateamur ergo non ab omni reprehensione vacua fuisse illa Ionis ætatis initia; fateamur iisdem nostrum cupiditatibus indulsisse, quæ tum in plerosque, ne in omnes dicam, erant pervulgatæ; cottabum lusisse sæpius; cum tumultuantibus amicis temulentum aliquando resistentes amorum suorum januas obsedisse [2]; fateamur ita tamen ne obliviscamur nos de optimo ac nobilissimo adolescente judicium facere, qui, si recte volumus res perpendere, omnia illa delectamenta, voluptates, convivia, ludos, studiorum amori posthabuit, et cum in litteris cursum persecutus est, in quo non poterat sperare se aliquid, nisi multo labore, esse consecuturum.

1. Plutarch., *Pericles*, VII : εὐθὺς δὲ (postquam scilicet auctoritate aliqua valere cœpit) καὶ τοῖς περὶ τὴν δίαιταν ἑτέραν τάξιν ἐπέθηκεν,... κλήσεις τε δείπνων καὶ τὴν τοιαύτην ἅπασαν φιλοφροσύνην καὶ συνήθειαν ἐξέλιπεν.

2. Feliciter, mea quidem sententia, Nieberdingius (*de Ionis vita et moribus*, p. 58), his Atheniensium adolescentium moribus illustrat Ionis ex dithyrambicis carminibus fragmentum (Bergk, *Lyr. græc.*, Ionis fragm. 9), in quo memorantur βαρύγδουποι ἔρωτες.

CAPUT II

De Ionis elegiacis carminibus.

Ion videtur mature se ad scribendum contulisse, et veri simile admodum est eum se primum ad id carminum genus applicuisse quo in primis delectabantur viri quos in quotidiano convictu colebat et quorum suffragia, ut æquum est, præcipue sectabatur. Illi autem elegiacorum carminum, quæ cœnarum ornamentum erant, studio singulari tenebantur. Cave autem ne elegiaca illa poemata dici putes, quorum tanta laude apud veteres floruerant summi poetæ. Illud enim carminum genus dignitate antea et gravitate insigne, priorem auctoritatem suam desiderabat, et ingenti novorum operum, tragœdiarum scilicet et lyricorum carminum, splendore obruebatur. Fere totum jam circa leves res versabatur et pleraque argumenta sumebat ex iis quæ in quotidiana vita fieri solent, ex cottabo, amore aliquo, epulis, amici laudatione aut inimici probro; neque sibi jam alium finem plerumque proponebat, nisi ut lætis convivantium cœtibus jucundius aliquid et urbanius adderetur. A quo carminum genere etiam vix diversa fuisse sæpe videtur nova illa poematum, quæ proprie epigrammata dicuntur, species : in qua tum Simonides, cum jam elegiarum celeberrimus auctor haberetur, maxima laude apud Græcos vigebat. Sed ut imminutam gravitatem suam requirebant elegiaca carmina, ita a pluribus tum colebantur. Non modo enim summos illius ætatis poetas, cum graviori alicui scriptorum generi toti incumberent, aliquando tamen

videmus ad componenda in hunc morem poemata descendisse : supersunt enim Æschyli fragmenta nonnulla elegiarum ; supersunt Sophoclis, Euripidis et multorum aliorum ; sed si quis paulum musis excultus erat et litteris eruditus, aliquam otii sui partem is non dubitabat scribendis levibus illis opusculis impertire atque inter rerum publicarum negotia adolescentiæ studiorum interdum meminisse. Sic Dionysium Chalcum, Periclis æqualem, qui Thurios coloniam deduxerat multamque operam in Atheniensium rem nummariam impenderat, elegiacos scimus versus composuisse, quorum etiam nonnulli ad nos pervenerunt. Quid de philosophis dicam, gravioribus viris, quorum traduntur ejusdem generis carmina? Quid præsertim de Critia, qui antequam avaritia et crudelitate nomini suo infamiæ notam inureret, elegantissimus elegiarum scriptor habebatur [1]?

Corroborato nondum ingenio, et litterarum amore magis incensus quam scribendi arte potens, Ion, ut consentaneum est, epigrammata elegiasque ante alia aggressus est. Quæ vero prima adolescentulo exciderunt, quam rudia essent atque imperfecta, ex epigrammate in Cimonis honorem composito et ab Æschine in oratione adversus Ctesiphontem laudato possumus intelligere, si quidem jure, ut nobis videntur, a docto viro Ioni adscripta sunt illa carmina [2]. Quam scribendi epi-

1. Varia multorum fragmenta vide apud Bergkium, *Lyrici græci*, vol. II; cf. præsertim quæ Zurborgius de elegiacis carminibus Sophoclis ætate compositis disseruit (*Hermes* X, 1876, p. 203 sqq.)

2. Quæ conjecit Kirchhoff *(Hermes*, 1871, V, p. 48 sqq. *Zur Geschichte des attischen Epigramms)* non dubitamus ut vera recipere, Ionem scilicet epigrammatis, de quo loquimur, auctorem esse. Docti viri argumenta, quanquam rem non ad certum ita deducunt, ut nulla jam exoriri possit dubitatio, probabilia tamen admodum nobis videntur esse. Argumentorum summa hæc fere est : Ionicæ verborum formæ, quæ in epigrammate plurimæ occurunt, ab Ionico scriptore totum carmen compositum esse evincunt. Inter ea quæ ionice dicta sunt in carmine præsertim animadvertendum est illud οὕτως οὐδὲν ἀεικές, quod loquendi genus omnino Ionibus proprium est. — Minime mirum est Cimonem ad hos scribendos versus Ionici poetæ opera usum esse. Namque, ut in tragœdia et lyricis carminibus attici excellebant, ita in epigrammatibus componendis externarum regionum præsertim poetæ innotuerant. — Epigramma scribere Simonides tum non potuit. — Juvenile quiddam atque immaturum versus redolent. — Nullus est poeta ad quem melius referri possit epigramma,

grammatis materiam habuerit ex Plutarcho scimus [1]. Cimon, cum Atheniensium classi præfectus, adversus Eionem navigasset, quo etiam tum Persæ in Macedoniæ littoribus præsidio potiebantur, oppidum valde munitum et a viris illustribus, ipsius Regis cognatis, defensum, ad deditionem fame subegit ; Boutes autem, sive Boges, qui mœnium defensioni præpositus erat, desperatione adductus est, ut urbem incendis dirueret atque in ignem se cum divitiis suis injiceret, ducis exemplum imitantibus nobilissimis ceteris Persarum imperatoribus (anno 470 ant. Ch. nat.). Ut victoriæ memoriam celebrarent, Athenienses Cimoni concesserunt ut tres columnas, Hermas scilicet, exstrueret [2]. Ille autem, cum vellet Hermis epigrammata insculpere, Simonidem, celeberrimum ea ætate hujus generis carminum scriptorem, non potuit adhibere, qui ad Hieronem paucis ante annis (476 ant. Ch. nat.) se recepisset. Tum ad familiares suos, ut videtur, conversus, si quem inveniret, cui extollendi facinoris sui munus committeret, eam curam Ioni demandavit, quem patrocinio suo tuebatur, et qui jam tum, ut conjici potest, aliqua ingenii laude apud amicos innotuerat. Imo vero, non dissentiam, si quis opinetur nostrum sponte sua magno duci carmina obtulisse, grati animi simul admirationisque pignus. Carmina hæc sunt :

> Fuerunt profecto etiam fortis-animi-viri, qui quondam Medorum
> natis apud Eionem, ad Strymonis fluctus,
> Famen ardentem glacialemque Martem (frigidam mortem scilicet)
> primi invenerunt hostium ruinam. [inferentes,
>
> Ducibus autem præmia hæc Athenienses dederunt,
> pro beneficio et magna virtute :
> Quæ qui viderit etiam inter posteros, eo magis volet
> pro re communi certamen (virtutis) inire.

quam ad Ionem, ionica gente hominem, tum Athenis commorantem, cujus poeticum ingenium etiam tum rude erat et parum corroboratum. Adde quod Ion Cimoni amicissimus erat et ejus patrocinio utebatur. — Totum epigramma legitur apud Æschinem, *In Ctesiph.*, 184 sqq. et apud Plutarchum, *Cimon*, VII.

1. Plutarch., *Cimon*, VII.
2. Æschines, *In Ctesiph.*, 183.

Ex hac quondam urbe cum Atridis Menestheus
duxit (agmen) ad divinos Trojæ campos,
quem quondam Homerus dixit Danaum spissis-loricis-armatorum
instructorem pugnæ egregium venisse (Trojam).
Non igitur immerito Athenienses appellantur
instructores earum rerum quæ ad bellum virtutemque pertinent [1].

Quibus si politiora perfectioraque nunquam noster protulisset, vix quidem ea laude dignus videretur qua apud Athenienses postea floruit. Adolescentis enim tirocinium et parum exquisitum judicium redolent illa carmina [2]; neque modo inanibus verbis abundant ad complendos numeros adhibitis, qua scribendi ratione uti solent discipuli quos premit insolitus condendorum versuum labor [3]; sed etiam magna rerum jejunitate laborant. Non sententiarum vi et splendore operi decus addere studet poeta noster, sed artificiosa quadam verborum libratione, quæ cum elegantiam et venustatem sectetur, pingue aliquid et tardum habet, ab expedito dicendi genere omnino alienum [4]. Adde quód non sui juris in scribendo plerumque noster videtur esse, sed semper cum in inveniendis sententiis, tum in verbis usurpandis, ad ea recurrere quæ ex ceteris didicit et priorum studiorum, cum in patria Homeri præsertim poemata volveret, meminisse [5].

Injuste tamen faciat si quis ex his tanquam rudimentis judicet nullam Ionis in elegiacis carminibus componendis virtutem fuisse. Cur parum apte Cimonis victoriam cecinerit, fortasse causa fuit, quod alienos potius quam suos in hoc epigrammate noster sensus exprompsit. At non dubito quin elegiæ quas Ion de Chrysilla amica sua composuerat incitatius aliquid et ardentius haberent, cum in eis poeta expri-

1. Alium ordinem (3. 1. 2) in exhibendo epigrammate sequitur Kirchhoff, *op. laud.*
2. Hujus generis sunt inter se opposita verba : *famem ardentem, glacialem Martem.*
3. Vox *quondam* (πότε) ter in primis septem versibus occurrit.
4. Quartum versum cum sexto conferas : κοσμητῆρα-κοσμητάς.
5. Totus Ionis locus petitus videtur esse ex Homeri *Iliade* II, 552 sqq., ubi de Menestheo agitur. Etiam in singulis Homerum noster imitatur.

meret quæ ipse sentiret, et ex proprio fonte carmina sua hauriret. Sed penitus illæ periere et alio nos conferamus necesse est, unde certiora possimus eruere.

Quædam ex Ionis elegiis fragmenta a nonnullis paulo severius mihi videntur esse æstimata. Quorum unum in Bacchi honorem est compositum [1]. Hæc elegia, ni fallor, egregium exemplum est illorum carminum quorum lepore epulas suas Græci solebant adornare, cum vicissim unusquisque convivarum assurgeret et, poculum manu tenens, ad lyræ aut tibiæ sonum versus aliquot cantaret; peracto autem cantu, nominabat eum qui ad dexteram sedebat, atque illi propinabat. Is autem poculum, ut alii mox ipse traderet, accipiebat, atque ita cum patera et carminibus circumferebatur lætitia [2].

..... Thyrsum-gestantibus valde honoratus Dionysus.
Hinc enim oritur occasio ad urbanos sermones omnis generis;
(hinc) illi universæ Græciæ conventus exstiterunt et regum epulæ;
(hinc) uvis onerata vitis e terræ visceribus
ramos attollens, viridantia brachia explicat
(in aere?) : ex ejus autem gemmis exsiliunt innumeri
nati qui garriunt, ubi alius super alium ceciderunt.
Antea vero erant muti [3]. Cum vero strepere desierunt,
exprimitur eorum nectar, solum hominibus beatum munus,
commune remedium ad lætitiam a natura datum.
Hujus cari liberi sunt epulæ et convivia et chori;
et generosam hominum indolem omnipotens vinum retegit [4].

1. Ab Athenæo servatum, X, 447, d.; Bergk, *Lyr. gr.*, in parte altera, vol. I.

2. Hunc propinandi et poculum per manus tradendi morem Lydia gens, si fidem adhibemus Critiæ, invenerat. (Critiæ fragm., ap. Bergk, *Lyr. gr.*, II).

3. Significare vult poeta vindemiam quæ quasi susurrat ubi primum mustum congestis uvis fervescere in prælo incipit.

4. Aliter intelligit hunc versum Koepkius atque ita vertit: « Quorum bonorum naturam rex Bacchus monstravit. » *De Ionis vit. et fragm.*, p. 54). — Cum Ione Theognis conferri potest (v. 498, Bergk) :

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
Γιγνώσκουσ', ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον.

Hinc quid re ipsa Ionis verba significent intelligi potest, etsi Theognis vinum non *generosam*, sed *turpem* hominis naturam detegere dicat. Idem valent Ionis et Theognidis verba, quod Horatianum illud : *libera vina*.

Quare tu, pater Dionyse, coronas-amantibus dilecte,
hominibus lætarum compotationum præses,
Salve. Da (nobis) per longam vitam, pulchrorum operum adjutor,
bibere et ludere et justis esse.

Minime novam in hac elegia materiam noster tractavit; multi enim antea in symposiacis carminibus Bacchum celebraverant. At mihi videtur ipsa tractandi argumenti ratio quam Ion secutus est, ab ea differre quam usurpaverant priores poetæ. Exemplo res clarior fiet, si quis cum Ionis versibus contulerit Theognidis quemdam non injucundum locum, in quo convivantes poeta alloquitur [1]. Theognidis versibus omnino alius sapor inest atque Ionis loco a nobis laudato. Non ad id institutæ esse epulæ Theognidi videntur, ut sollicitis animis fecundi calices onus eximant, ut urbanitatem atque artes addoceant, ut mentibus potius jucunditatem aliquam, quam corporibus voluptatem, comparent. Sed Megarensis poeta videtur propter ipsam bibendi voluptatem bibere [2], neque minus ad bonam corporis valetudinem quam ad animorum temperantiam spectant consilia quæ, mero jam ipse dilutior [3], plus æquo potis amicis largitur. Ipsæ imagines, quibus utitur, multo magis externam ebriorum hominum turpitudinem, quam mentem exhibent [4]. Omnia illa Ion aut negligit aut horret. Bacchi laudes, quæ publici juris materies erant, proprie tractandas suscipit. Poculorum quidem voluptatem non respuit, at in eo præsertim videtur Bacchi virtutem collocare, quod ille urbanorum sermonum est pater om-

1. Theognis, v. 467 sqq., *Lyr. gr.*, Bergk.
2. V. 477 : Δείξω δ'ὡς οἶνος χαριέστατος ἀνδρὶ πεπόσθαι.
3. V. 476 : Οὔτ' ἔτι νήφων ὤν, οὔτε λίην μεθύων.
4. Cum loco laudato, cf. versus 503, sqq.

οἰνοβαρέω κεφαλήν, Ὀνομάκριτε, καί με βιᾶται
οἶνος, ἀτὰρ γλώσσης οὐκέτ' ἐγὼ ταμίης
ἡμετέρης, τὸ δὲ δῶμα περιτρέχει · ἀλλ' ἄγ' ἀναστάς
πειρηθῶ, μή πως καὶ πόδας οἶνος ἔχει
καὶ νόον ἐν στήθεσσι · δέδοικα δὲ μή τι μάταιον
ἔρξω θωρηχθεὶς καὶ μέγ' ὄνειδος ἔχω.

Eamdem indolem referunt Anacreontea carmina quæ vinum celebrant. Vide carmina 36 et 54 et præsertim 50 (apud Bergk, *Lyr. gr.).* Ne Alcæi quidem fragmenta exceperim, quamvis aliter doctissimo viro O. Müllero videatur.

nipotens, quod ea studia, eas artes, quorum noster erat ipse curiosissimus, vi sua adjuvat et divino calore fovet, quod ingentibus illis universæ Helladis cœtibus præsidet quorum beneficio tantam humanitatis laudem Græci adepti sunt.

Aliis etiam Ionis elegiacis fragmentis docemur quam diligens sectator esset omnium studiorum quæ inter ingenuos viros coli solebant. Nihil nescire volebat ex iis quæ in litteris, artibus, philosophia, omnis generis doctrina, nova tum proferebant præclarissima illius ætatis ingenia. Tum lætatur quod lyræ, quæ septem antea aut novem chordis erat instructa, duæ novæ fides accesserunt, ita ut undecim voces posset reddere sub pulsantium digitis [1]; tum, in alio fragmento, quo concludebatur fortasse carmen in Pherecydæ honorem compositum [2], se Pythagoreorum discipulum profitetur, atque animorum immortalitati alludit quam professus erat Pythagoras :

> Ita ille (Pherecydes) virtute ornatus et pudore,
> vel exanimis, jucundam agit vitam,
> si quidem vera Pythagoras, vir sapientia superans omnes
> homines, novit et didicit [3].

Ceterum, ea qua præditus fuisse videtur mobilitate animi, callebat Ion temporibus et auditorum indoli carmina sua accommodare. Testes sunt versus quidam ex elegia superstites quam noster scripserat, ut in convivio ab Archidamo, Lacedæmoniorum rege, instituto cantarentur. Cum carmina illa apud eos recitanda essent qui, a majorum studiis dissentientes, jam tum ingenuas artes respuebant, musicam præsertim [4], quæ Lacedæmone quondam tanta laude floruerat, non poterat noster illas artium amœnitates celebrare quibus delectabantur Athenienses. Revertitur igitur aliquatenus ad antiquam elegiacorum carminum speciem, et ad Theognidis

1. Elegiarum fragm. 3, ap. Bergk.
2. Nieberding, de *Ionis Vita*, p. 74.
3. Frag. 4, ap. Bergk, *Lyr. græc.* Pro ἐτύμως legimus ἐτύμους, ut vult Hartung.
4. Vide Bergk, *Griech. Literat.* II, p. 540; cf. P. Girard, l'*Éducat. Athénienne*, p. 161.

exemplar, ad cœnæ delectamenta convivas hortatur. Totius vero hortationis genus hoc est, ut severum et religiosum colorem trahat ex præpositis gravibus precibus, quibus dii Spartanorum indigetes et stirpis regiæ heroes invocantur :

> Salve, rex noster, servatorque paterque [1] ;
> nobis craterem (vinum in cratere) servi ministrantes vinum
> misceant in argenteis gutturniis (ut impleantur gutturnia) ; aurea
> vinum continens e manibus nostris libet in pavimentum [2]. [phiala
> Libantes pie Herculi et Alcmenæ,
> Procli Persidisque a Jove incipientes,
> bibamus, ludamus ; per totam noctem cantus emittatur ;
> saltet aliquis. Libens præside amicorum lætitiæ.
> Quem vero formosa exspectat mulier conjux
> is ceteris clarius (fortius) bibet.

Cetera elegiarum fragmenta exiliora sunt quam ut ex iis de Ionis poetica virtute in hoc litterarum genere possimus plura conjicere. Attamen e fragmento quinto

> Ille autem *origanum* dicto citius in manu celat [3]

discimus Ionem in scribendo non semper purum et sincerum atticæ linguæ morem esse secutum [4]. Ad fragmentum sextum :

> Quam olim (Chium urbem) filius Thesei condidit Œnopion [5]

animadvertit Plutarchus Ionis verba parum congruere cum opinione communi Græcorum [6], qui Œnopionem arbitraban-

1. His verbis designari Jovem sunt qui arbitrentur (Kœpke, *op. laud.*, p. 56) ; alii Bacchum vel ipsum Archidamum (Nieberding, *op. laud.*, p. 69). Cum Hauptio censemus *(de Ionis versibus apud Athenæum XI,* p. 463. Berolini, 1863, progr.) et O. Muellerio (*Littérature grecque*, I, p. 228, in translatione gallica), Archidamum designari, Spartanorum regem.
2. Mendosa in hoc loco librariorum scriptura videtur esse, neque adhuc ullum satis aptum remedium ad versus corrigendos repertum est.
3. Fragm. 5, ap. Bergk, *Lyr. græc.*
4. Vox ὀρίγανος, quam masculinam usurpat Ion femininum genus plerumque retinet. Non tamen consentiebant Græci scriptores de hujus vocis genere. Vide Athenæum II, 68, *b* ; cf. *Etymol. Magn.*, sub v. ὀρίγανος.
5. Fragm. 6, ap. Bergk, *Lyr. gr.*
6. Plutarch., *Theseus*, XX.

tur Bacchi filium fuisse [1]. Hinc intelligi potest Ionem, cum veterum heroum nomina in elegiacis carminibus adhibuerit, ex epico fonte aliquando hausisse, nec dubitasse interdum ex veteribus fabulis eas eligere quæ inter patriam ejus et Athenas consanguinitatis quædam vincula instituerent.

Etiamsi haud mediocri in condendis elegiacis carminibus virtute Ion præstitisse videtur, caveamus tamen ne eum plus in hoc genere valuisse arbitremur, quam valuit. Vero enim aberrare mihi videntur nonnulli qui suspicati sunt nostrum, desertis veterum vestigiis, novam elegiarum formam procudisse, *symposiacam* scilicet, id est ad id unice compositam ut in conviviis recitaretur, qualia fuisse constat quæ proprie dicuntur scolia, aut Anacreontis, Alcæi, aliorumque poetarum carmina [2]. — Non, equidem fateor, dubium esse potest quin Ionis elegiarum fragmenta quæ supersunt in Bacchi honorem scripta sint et ad convivale genus referri possint. At quis neget pauciora illa esse quam ut ex iis merito possimus contendere omnia nostri carmina elegiaca de iisdem rebus, conviviis nempe, aut Bacchi Venerisque laudibus, aut si quæ sunt horum similia, scripta esse? Nonne poterat etiam ex quotidianis amicorum aut sua ipsius vita, studiis, laboribus alia argumenta sumere? — Præterea, quod fragmenta quæ sunt in nostris manibus convivarum cantibus aptissima sunt, non inde evincitur ea ad id potissimum esse composita ut cantarentur. Quid? Ad eum finem compositæ sunt tragœdiæ? quarum versus aliquando inter epulas recitatos esse constat. Quod idem valet de epigrammatibus aut aliis cujusvis generis poematibus. — At fac Ionem nullas unquam elegias scripsisse, quæ non ad convivia pertinerent. Non inde sequitur hujus generis auctorem Ionem exstitisse, cum ejus modi carmina jam reperiantur apud Theognidem multa [3];

1. Athenæus, I, 26, c.

2. Osann, *Beitræge zur Griech. und Ræmisch. Literat.* I, p. 30-78. — Cf. disputationem quam de eadem re instituit Welckerius (*Rheinisches Museum*, 1836, sec. series, p. 437, sqq.), cujus nos opinionem sequimur.

3. Vide versus quos supra laudavimus. Cf. v. 237 sqq.; 879 sqq.; etc. (*Lyr. gr.*, Bergk).

apud Solonem etiam nonnulla [1]; quædam apud Xenophanem Colophoneum eaque præclarissima [2]. Quid de Simonidis carminibus dicam, quorum pleraque non mirer inter pocula esse cantata?

Si igitur novi aliquid Ion in elegia invenit, totum in eo versatur illud, quod, ut supra diximus, inter poculorum lætitiam nobiliorum studiorum non erat immemor et ea in primis celebrasse videtur, quibus ingenui illorum temporum viri oblectabantur. Imo vero : ne ea quidem laus ipsius poetæ tanquam propria habenda est, sed ætati qua vixit potius est imputanda. Non suorum sed communium studiorum interpres fuit Atheniensium, qui jam tum antequam præceptis suis sophistæ ad omnis generis disciplinas animos incitarent, ingenuis artibus informari cœperant. Cui antea legi inservierant veteres poetæ, ut ex ætatis suæ studiis argumenta sua traherent, eamdem noster secutus est et eum scribendi cursum tenuit, quem mutati æqualium mores tenere eum coegerunt [3].

Quantum vero se ad æqualium judicium atque sensus se poeta noster fingeret, non ex solis elegiarum fragmentis, sed ipsa ex oratione perspicitur. Ion quidem non illa jucunditate caret et venustate quæ Ionum poetarum erat propria [4]. Quis, ut exemplo utar, molli versuum flexu non delectetur et gratissima imaginum novitate quibus noster vitem brachia sua explicantem depingit, uvasque in prælis inter se, ut convivas ipsos inter epulas, quasi garrientes? Austeri nempe et pusilli simul judicii virum, qui totius loci eleganti abundan-

1. Fragm. elegiarum πρὸς Κριτίαν (Bergk, *Lyr. gr.*).
2. Vide præsertim fragm. 1, in *Lyr. gr.*, Bergk.
3. Inter elegorum veteres scriptores Mimnermus unus videtur ea neglexisse quæ omnium juxta intererat audire et ea solum quæ ipse penitus sentiebat expressisse. Quanquam enim ex intimo cordé proficiscuntur odium atque invidia qua adversus κακοὺς furit Theognis, ea tamen ad res quæ omnibus cordi erant, spectare nemo est quin videat.
4. Nieberdingius merito animadvertit verbis πρὶν δὲ σιωπῶσιν inesse præclarum exemplum epicæ sive ionicæ μακρολογίας, nec displicere mihi fateor quæ adjicit (*op. laud.*, p. 64) : « Imprimis enim in hoc carmine animadverti oportet Homericam, vel ionicam quamdam structuræ libertatem sive gratam negligentiam quam tum argumento tum carmini elegiaco aptissimam ne ad severiores leges revocemus cavendum est ».

tia non moveatur [1]. At, ni fallor, lyricum quiddam omnia hæc redolent, et ejus modi sunt quæ in choro dithyrambico nos non offenderent. Non potuit Ion, ut videtur, in scribendo omnino exuere lyricorum carminum indolem quæ tum ad perfectam speciem a summis viris, Pindaro et Simonide, adducta erant; atque ita colori ionico, quem retinuerat, miscebat aliquid splendidius, quale probare tum solebant assidui dithyramborum spectatores. Non tamen ultra modum tumido illi generi inserviit, sed tantum inde sumpsit, quantum necesse esset ad augendam et reficiendam senescentis jam elegiaci carminis virtutem atque robur; eoque magis laudandus in ea re videtur, quod arduum erat descriptas operum vices observare in hoc tanto lyricæ et scenicæ poesis favore et gratia. Inter novissimos elegiarum scriptores Ion annumerari potest. Si qui eadem ætate aut paucis post annis aliquam huic generi operam tribuerunt, aut videntur ii delectationem potius ad breve et exiguum tempus quæsivisse, ut Critias; aut nihil jam ex antiqua veteris elegiæ indole retinent, ut Dionysius Chalcus, cujus poemata lyricis carminibus propiora sunt quam elegiis. Ion ipse fortasse non diutissime huic antiquo generi immoratus est, et brevi se ad alia convertit in quibus tractandis majorem se confidebat apud æquales suos famam esse assecuturum.

1. Si vocem βοῆς exceperis, quæ parum proprie videtur in hoc loco usurpata esse, non video quid reprehendi possit in his versibus elegantissimis. De toto loco scribit Koepkius (*op. laud.*, p. 54) : « Dicendi genus tumidum et frigidum et artificiose petitum, quo singula nimis quiddam accipiunt dithyrambicum quam quod in elegiis componendis non vituperandum esset ». In medio inter Nieberdingium et Koepkium stabimus, si vere judicare voluerimus.

CAPUT III

De Ionis satyrico dramate quod Omphala Inscribitur

§ 1. — *Quid de Atheniensium rebus publicis Ion senserit et qua ratione sententiam suam expresserit.*

In priore vitæ parte, Ion adversarum partium contentionibus adfuit, quibus aliquandiu distracta est Atheniensium civitas, donec, devicto optimatium duce Cimone, et in exsilium pulso Thucydide Melesiæ filio, Pericles summam apud cives suos auctoritatem adeptus est, et, nullo jam obstante æmulo, debilitata fractaque antiqua areopagi auctoritate, novis popularibusque institutis Athenarum magnitudinem et splendorem stabilivit. Utrum vero Ion segnis hanc disciplinæ veteris perturbationem spectaverit, an partes ipse in hoc certamine gerendas susceperit, disquirere non indignum videtur.

Minime dubium est quin inde a principio in optimatium factionem summa voluntate Ion propensus fuerit et impensius Cimonem coluerit. Non modo enim beneficiorum, quæ adolescens a præstantissimo viro noster acceperat, memoria inter se erant conjuncti, sed etiam, patria oriundus in qua tum florebant nobilium partes, iis præceptis Ion informatus erat, quæ inter eum et Cimonem communium de rebus publicis opinionum vincula instituerent.

Nec minus, opinor, Ioni accepta esse poterant quæ Cimon de barbaris debellandis prædicabat. Cum Pericles totas Athenarum sociorumque vires adversus vicinam Lacedæmoniorum potestatem, unde summus vir maximum patriæ suæ periculum imminere intelligebat, reservandas esse arbitraretur, Cimoni autem nihil utilius esse videretur quam pacem cum Spartanis agere ut civitati liceret in Asiæ littoribus Ægæique maris insulis reliquas Persarum opes lacessere et atterere, utrius tandem fortunam putas nostro sequendam fuisse, cum ipse ionica gente esset ortus, barbarisque eo infensiores gereret animos, quo servitutis Asiæ Minoris civitatibus a Rege impositæ calamitatem et dedecus propius vidisset? Ejus nimirum partes amplexus est, quem videbat, patriæ virtutis simul et felicitatis heredem, sibi munus suscepisse Ionas in libertatem vindicandi et diuturnas Persarum injurias ulciscendi.

Jam ex iis, quæ de privatis utriusque moribus narrabat Ion, perspici potest quo Cimonem studio prosequeretur, quam contra alienus Pericli esset. « Ion poeta, inquit Plutarchus, Periclem insolentem ait fuisse in consuetudine, et fastuosiorem, ejus autem jactantiam magno aliorum contemptu ac superbia esse permixtam. Laudat contra Cimonis concinnitatem, facilitatem, et in convictu comitatem [1]. » Neque mihi multum videatur errare, si quis opinetur Plutarchum in libello, quem de Cimone scripsit, Atheniensem ducem singularibus laudibus ideo extulisse, quod in scribendo Ionem sæpe secutus sit. Multa sunt profecto, in hoc opere, quæ ex Ionis historicis libris profecta sunt, quos Plutarchum accuratissime legisse inde manifestum est, quod haud semel ab eo laudatur Ion [2]. Neque hoc sane mirum. Earum enim fabellarum curiosus quæ ad privatam magnorum virorum vitam pertinent, qui Plutarchus nostri commentarios neglexisset, quibus luculentiores vix poterant ulli inveniri, cum

1. Plutarch., *Pericles V.*
2. Plutarch., *Cimon*, V; IX; XVI.

narraret Ion non ea quæ ab aliis accepisset, sed quæ ipse aut audivisset aut vidisset : inter quæ permulta, ut æquum est, Cimonis habitum, mores, sermones, ingenium referebant.

Sed, utut se ea res habet, publica inter Cimonis et Periclis fautores certamina attento atque arrecto animo Ionem spectavisse constat, et litteris mandavisse quæ amicorum suorum laudem possent augere. Anno 464 ante Ch. n., cum Lacedæmonii Athenas legatum Periclidam misissent, auxilium implorantes adversus ilotas quibus ad rebellandum animos addiderant calamitates in quibus Sparta, terræ motu fere eversa, tum versabatur, atque in summa dubitatione Athenienses hærerent, utrum Ephialtæ consilia audienda essent suadentis ut inimicis suis et fere hostibus auxilia denegarent, an Cimonis auctoritas sequenda, qui subveniendum esse Spartanis censeret, pro certo haberi potest Ionem in concione affuisse, in qua vehementissima animi, virium, ingenii contentione dimicaverunt inter se adversarum partium duces. Eorum enim quæ tum vel dicta vel acta sunt, in libris suis memoriam servaverat, atque etiam nunc apud eum imaginem deprehendimus gravissimæ illius orationis qua Cimo incertæ plebis voluntatem expugnavit, cives suos adhortans « ne Græciam claudam esse sinerent, neve urbem, quæ alteram jugi partem sustineret, negligerent [1]. » Paucis post mensibus Cimo, quatuor millibus hoplitarum præfectus, Lacedæmonem contendit, promissa Spartanis auxilia secum adducens. Num Cimonem in itinere Ion comitatus sit incertum est. At Peloponesum ipse profecto invisit [2] et propius eam civitatem inspexit cujus mores atque ingenium prædicatum sæpe a Cimone audiverat. Ut amicus, qui φιλολάκων vocabatur [3], sic Ion Lacedæmoniorum indolem

1. Plutarch., *Cimon* XXIV. Concionis quæ tum habita est memoriam et Aristophanes in *Lysistrata*, v. 1140, servavit. Effingit legatum Periclidam καθεζόμενον ἐπὶ τοῖς βωμοῖς ὠχρὸν ἐν φοινικίδι.

2. Vide Hesych., s. v. Νυμφῖον ὄχθον. Ex loco laudato apparet Ionem Alphei cursum in Elide vidisse.

3. Plutarch., *Cimon*, XVI; cf IV : καὶ μᾶλλον εἶναι Πελοποννήσιον τὸ σχῆμα τῆς

valde admiratus est, ut apparet ex nonnullis perditæ tragœdiæ versibus qui ad nos pervenerunt : in quibus cum eorum breviloquentiam, tum strenuam in agendo virtutem laudaverat :

Non enim verbis munitur Lacedæmoniorum civitas :
sed ubi Mars novus (bellum novum) incidit exercitui (populo),
senatus imperat, manus conficit [1].

Ipsi versus, quod apud Ionem admodum rarum fuisse videtur, concisum habent aliquid et breve, quale Spartanorum dicendi genus fuisse notum est. Cum ipso Lacedæmoniorum rege, Archidamo, consuetudinem noster, ut veri omnino simile est, instituit. Ab eo enim hospitio exceptus et regali mensæ assidens, sive in castris, sive Lacedæmone cœna habita est, carmine elegiaco regis laudes celebravit, quem ab ipso Jove per longam divinorum heroum seriem, Herculem, Proclem, Persidas, genus trahere profitebatur [2].

Quamdiu vixit Cimo, consentaneum est Ionem iisdem adversus Periclem inimicitiis esse incensum, quibus amicum suum eumdemque patronum videbat inflammari. Quemadmodum vero mutuæ æmulorom simultates non eadem semper vehementia eruperunt, sed aliquandiu paulum consedisse

ψυχῆς τοῦ ἀνδρός. — Id. *ibid.*, XVI : quoties civibus suis aliquid exprobrare Cimon volebat aut eos irritare, dicere solebat : ἀλλ᾽ οὐ Λακεδαιμόνιοί γε τοιοῦτοι. Cum gemellos filios ei genuisset uxor, alteri *Lacedæmonio, Eleo* alteri nomen imposuit.

1. Fragm. 63 ap. Nauck (1889). Periit ipse tragœdiæ titulus. Cf. historiolam quæ his versibus apud Sextum Empiricum clausa est. Ion in hoc loco nescio an alludat strenuis et fortibus Lacedæmoniorum consiliis, cum Archidamus, Ol. 79, 1 (464-463 ant. Ch. n.) civium animos post terræ motum trepidantes et desperatos recreavit, contractaque Spartanorum manu, rebellantium hilotarum impetum repressit.

2. Vide Ionis carmen in secundo hujus libelli capite. Vide apud Hauptium, *de Ionis versibus apud Athenæum XI, p. 463,* disputationem qua vir doctus varias eorum opiniones refellit, qui primo elegiaci carminis versu designari putant aut Jovem, aut Bacchum, aut mensæ regem, cœnamque arbitrantur Chii aut Argis esse habitam. Hauptius O. Muelleri opinionem sequitur qui ad Archidamum Lacedæmoniorum regem hæc pertinere suspicatur, et carmen recitatatum esse credit Lacedæmone aut in Spartanorum castris (O. Mueller, *Hist. de la Littérat. grecque*, I, p. 228, cum nota).

videntur, ita Ion ipse modo acerbiores in popularium partium ducem iras concipiebat, modo contra aliquid de odio suo remittebat. Ut exempla afferam, cui dubium esse potest, quin summus dolor, quem ex amici exsilio (anno 459 ant. Ch. n.) animo ceperat, paulum mitigatus sit post illud apud Tanagram prælium in quo Cimo suo in Athenas amore insigni dignus visus est qui, in patriam revocatus, non adversarius jam Periclis, sed socius, aliquam gerendarum rerum publicarum partem obtineret? Reconciliata inter duces gratia, ad leniores erga Periclem sensus nostrum etiam conversum esse pro certo haberi potest.,

Mortuo vero Cimone (449 ant Ch. n.), rursus accensæ sunt animorum odiorumque faces. Tum enim Thucydides, Melesiæ filius Cimonisque affinis [1], contractis, quæ jam solutæ videbantur, optimatium partium reliquiis redintegratoque bello, in Periclem tam vehementi impetu sese intulit ut in summo discrimine versari videretur magni viri auctoritas. Quam tum potuit Ion inter dimicantes amicos suos personam sustinere ? cum ei præsertim propter peregrinam originem nullus ad publica munera aditus, ut verisimile est, pateret [2]? Non ignoramus quidem alios etsi civitate semper caruerunt, cum tamen eximia in dicendo facultate eminerent, ex aliqua parte, dum privatos aut defenderent aut arguerent, publicas res attigisse : hanc scimus, paucis post Ionem annis, artem Lysiam calluisse. At Ion neque natura videtur fuisse instructus, neque disciplina informatus ad hanc dicendi facultatem [1]. Neque id mirum, cum ea ætate vix cœpisset Athenis

1. Plutarch., *Pericles* XI : κηδεστὴς Κίμωνος.

2. Nullus exstat veterum scriptorum locus, nullum monumentum, cujus testimonio nisi contendere possimus Ionem in civitatem ab Atheniensibus esse receptum. Quam parce civium jura peregrinis concederent Athenienses, Lysiæ exemplo docemur qui, post tot et tanta beneficia quibus populum in recuperanda libertate adjuverat, nunquam tamen in civium numero habitus est. Quibus autem meritis Ion ab Atheniensibus civitatem potuerit impetrare non video. Fieri tamem potuit ut per Cimonem ἰσοτέλειαν obtineret. At ne sic quidem jure suffragii in concione aut in judiciis fruebatur, nedum ad publicos magistratus illi via pateret. Vide Schenkl, *De metœcis atticis*, in *Wiener studien*, 1880, II, sub finem.

esse aliqua ars dicendi et nondum paterent illi siculorum aut aliorum magistrorum ludi, in quibus postea eloquentiæ arma tractare Athenienses didicerunt. At si quis oratoriam vim volebat tum adipisci, una ad id via ei erat, nempe si in rebus ipsis gerendis versaretur atque summos in republica viros dicentes audiret atque imitaretur : in quo quidem vel studiosissimi operam frustra consumpsissent, cum illud eloquentiæ genus excellentiam naturæ requirat qua paucissimi, vel apud Græcos, eminuerunt.

Quid vero? ut oratoribus, ita et poetis sua auctoritas erat, eaque summa, modo non intra parietes, ut ita dicam, atque in delectu paucorum amicorum cœtu ingenium suum exercerent, sed prodirent in lucem et, spectante cuncta civitate, in scena quid de publicis rebus ipsi sentirent sub vividis personarum imaginibus expromerent. Quod jus non Atheniensium modo poetarum fuisse constat, sed peregrinis etiam haud semel obtigisse. Ad hanc labefaciendæ adversarum partium potestatis rationem confugisse Ion videtur.

§ 2. — *De scenicis poetis qui sub Omphalæ et Herculis nomine Aspasiam et Periclem persecuti sunt.*

Plutarchus in *Pericle* dum ea commemorat quæ ad Aspasiam attinent, narrat eam multorum comicorum poetarum conviciis obnoxiam fuisse qui, inter varia cognomina, mulieris impudicitiam aperte criminantia, *alteram Omphalam* sæpius eam vocare consueverant [2]. Qui fuerint ii, Plutarchus

1. Πρεσβευτικός ille (λόγος scilicet) qui nostro ab Aristophanis quodam interprete adscriptus est, spurius jam ab ipsis antiquis auctoribus habebatur. Aristophanis *Pacis* schol. ad v. 835 : ἔγραψε... καὶ κατολογάδην τὸν πρεσβευτικὸν λεγόμενον, ὃν νόθον ἀξιοῦσι εἶναί τινες καὶ οὐχὶ αὐτοῦ. Cf. Car. Mueller, *Fragm. Historic. græc.* II, p. 44.

2. Plutarch., *Pericl.*, XXIV : ἐν δὲ ταῖς κωμῳδίαις Ὀμφάλη τε νέα, καὶ Δηϊάνειρα καὶ πάλιν Ἥρα προσαγορεύεται (Ἀσπασία). Κράτινος δ' ἄντικρυς παλλακὴν αὐτὴν εἴρηκεν κ. τ. λ.

ipse non prodit; sed a Platonis interprete docemur ex eorum numero fuisse Cratinum [1] : qui profecto non solus exstitit illius opprobrii auctor. Multi enim comœdiæ veteris scriptores infensos Pericli animos gerebant : quorum plures etiam fabularum argumentum traxisse potuerunt ex Herculis et Omphalæ connubio. Inter eos liceat Archippum memorare, qui circa eam ætatem vigebat, qua decessit Pericles [2]. Comœdiam ille composuerat ex cujus titulo, Ἡρακλῆς γαμῶν, forsitan licet conjicere poetam de Aspasia et ejus familiari aliquid expressisse. Paucis post annis Nicochares eamdem materiam arripuit; at incertum videri potest num quid de Periclis amoribus ille tradiderit, cum præsertim haud ita paucis post defunctum Periclem annis, confecto jam Peloponnesiaco bello, floruerit [3]. Quod vero pertinet ad *Omphalas* ab Antiphane et a Cratino juniore, mediæ, ut dicitur, comœdiæ poetis, compositas, vere mihi dicturus esse videor fabulas illas de diis potius, de Herculis heluatione, de epularum apparatibus egisse, qui tum mos vigebat, quam de Pericle et ejus πολιτείᾳ.

At tragœdiarum satyricorumque dramatum scriptoribus haud multo minor, quam comicis poetis, videtur concessa fuisse potestas in scenam inducendi quæ in civitate gerebantur. Ut Æschylum, Euripidem aliosque omittam, ipsa Periclis ætate duo satyrica dramata acta sunt, quorum utrique *Omphala* nomen inscriptum erat. Quorum alterum Achæus Eretriensis scripserat, alterum Ion Chius. De Achæo Periclis insectatore disputaverunt alii [4].

1. Schol. Platon. p. 391, Bekker : Κράτινος δ' Ὀμφάλην τύραννον αὐτὴν καλεῖ... καὶ Ἥραν, ἴσως ὅτι Περικλῆς Ζεὺς Ὀλύμπιος προσηγορεύετο. — Præter Cratinum de Aspasia malevole locuti esse videntur Pherecrates (*Fragm. comic. græc.*, Didot, p. 104); Eupolis, qui eam Chironem (Periclis magistrum scilicet) vocaverat et Helenam, id est Græciæ pestem. In ejusdem auctoris comœdia, quæ inscripta fuit Φίλοι, vapulabat Aspasia (Schol. Plat. p. 332, 391, Bekker. Cf. *Fragm. com, græc.*, Didot, p. 187, 6).

2. Archippus comico certamine vicit Olymp. 91 (415-412 ante Ch. n.), secundum Suidam. Cf. *Fragm. comic. græc.*, Didot, p. 270.

3. Nicochares, secundum Bœckhium (C. I. Gr. I, p. 354) vitam ultra Olymp. 106, 3 (353 ante Ch. n.) produxit.

4. Vide Urlichs, *Achæi Eretriensis quæ supersunt,* p. 75 sqq.

Quod vero ad nostrum pertinet, cum non possit esse dubium quin odio Periclem Ion prosecutus sit, cumque ex Plutarcho discamus Aspasiam *alteram Omphalam* per contumeliam a scenicis poetis esse vocatam, propius fidem est Ionem, *Omphalæ* scriptorem, inter eos posse annumerari qui, arrepta fabulæ occasione, Aspasiæ ejusque familiaris Periclis mores et vitam in scena strinxerunt [1].

§ 3. — *Quo anno acta sit Ionis* Omphala.

Clarius quidem, credo, ita se rem habuisse appareat, si plane notum sit quo anno Ionis *Omphala* acta sit. Putat Koepkius [2] fabulam paucis ante Periclis obitum annis inductam esse, intra quatuor illorum annorum spatium quibus summus vir, diffidente jam duci suo civitate, inimicitiarum fluctu pæne obrutus est, cum alii carissimos ejus amicos Phidiam, Anaxagoram, Aspasiam ipsam, impietatis causa in jus vocarent, alii ipsum odiosis criminibus insectarentur (433-429 ante Ch. n.). Hæc tanta in Periclem odia, ut opinatur Koepkius, non Ion ipse inflammavit, sed communi omnium odio ipse accensus est, ita ut inde scribendæ *Omphalœ* occasionem noster arripuerit.

At quædam sunt quæ possint opinioni quam tuetur Koepkius objici. Nempe jam ante annum 433 cœperant comici scriptores Periclem in scena deridere, atque jam inde ab anno 440 in tantum creverat poetarum audacia, ut scena digna visa esset quæ severiore lege regeretur [3]. Præterea, intra annos 433-429, adeo firmis civium studiorum fundamentis nitebatur Periclis potestas, ut nullus jamdiu exstaret æmulus

1. Ea opinio non tota nostra est, quippe quam protulerit olim Koepkius (*Zeitschrift f. d. Alterthumwiss.* 1836, nº 75), quem in ea re verum perspexisse credimus, quanquam non omnia nobis placent in ejus disputatione.
2. Koepke, *Zeitschrif. f. d. Alterth. Wiss.* 1836, nº 75.
3. Curtius, Hist. grecque III, p. 43, in gallica translatione.

quocum ei de summa rerum dimicandum esset; neque poterat Ion cum olympio invictoque viro certamen instaurare, in quo vana et sine ictu omnia cecidissent quæ in hostem tela detorsisset.

Potissimum igitur credam *Omphalam* actam esse circa annum 444, quo tempore maxime deferbuerunt partium iræ. Tum enim, cum civitas inter Periclem Thucydidemque hærebat incerta, utri rerum suarum summam permitteret, et optimatibus aliqua victoriæ spes supererat, ut ipsi rebantur, tum, inquam, poterat Ion, cum gravioribus armis uti ei non liceret, comicam vim, si quam habebat, in utilitatem suorum conferre: tum opportuna videri poterat fabula quæ populo deridendum traderet Thucydidis æmulum atque ejus auctoritatem sub spectatorum oculis extenuaret.

Num vero nullum in ipsis *Omphalæ* fragmentis indicium reperiri potest, ex quo fabulæ ætatem nobis liceat conjicere? Est quidem unum quoddam, dignum, ut mihi videtur, quod examinetur diligentius. Notissimus est omnibus *Periclis* locus [1] in quo Plutarchus, postquam de rebus in civitate a Pericle et Ephialta novatis disseruit, Atheniensem populum depingit mero libertatis vino ebrium, quod civibus illi largius effuderant, et equi instar, frenos jam nolentem recipere :

> Superbiens, obedire non audet amplius,
> sed mordet Eubœam et ad insulas assilit (2).

Ea comici nescio cujus poetæ verba sunt, Pericli infensos animos gerentis, et sub perspicuis ambagibus expeditionem significantis, quam Pericles adversus insulam duxit, Ol. 83, 3, anno ante Ch. n. 446. Si autem *Omphalæ* fragmenta revolveris, ab Ione etiam aliqua esse dicta invenies de insula Eubœa, cujus naturalem situm ita exponebat :

1. Plutarch., *Pericles*, VII : ἄκρατον τοῖς πολίταις ἐλευθερίαν οἰνοχοῶν, ὑφ' ἧς, ὥσπερ ἵππον, ἐξυβρίσαντα τὸν δῆμον οἱ κωμῳδοποιοὶ λέγουσι πειθαρχεῖν οὐκέτι τολμᾶν, ἀλλὰ δάκνειν τὴν Εὔβοιαν καὶ ταῖς νήσοις ἐπιπηδᾶν.
2. Ita versus restituit Meineke, *Poet. comic. græc. fragm.*, Didot, p. 751.

Eubœam terram tenuis Euripi fluctus
Bœotia sejunxit, littus abscindens
oppositum freto (1).

Qui versus, ni fallor, ad hoc ipsum Euboicum bellum pertinere potuerunt; cum præsertim non tam ipsius civitatis quam partium suarum utilitati consuluisse hoc bello videretur Pericles : cum Pericle enim vicerant quicumque in insula tum popularibus institutis favebant, quod plane apparuit cum, radicitus eversis Histiæa Eretriaque, optimatium equestrisque ordinis civium, qui quondam Chalcide floruerant, inter colonos Athenienses prædia distributa sunt [2].

Si vera sunt ea quæ conjicimus de fragmento supra allato, *Omphala* fabula in idem fere tempus incidit, quo insula ab Atheniensibus direpta est, id est in annum 446, aut, si mavis, in annum 445. Eo tempore jam apud Athenienses scenicis operibus Ion non mediocrem laudem obtinuerat, quippe qui jam sextum annum fabulas ageret. Qua autem apud plebem valebat auctoritate, consentaneum est nostrum ad id eam adhibuisse, ut laborantibus amicorum suorum rebus subveniret.

§ 4. — Omphalæ *argumentum*.

Ad argumentum fabulæ nunc veniamus, in quo illustrando paulum a vero aberrasse mihi videtur Koepkius. Si docto viro credas, *Omphalæ* totius fere cardo in perpetuis epularum apparatibus versabatur : iterum atque iterum potatur in fabula; ingurgitantur cibi, sequuntur lusus amatorii. Neque jam primas in dramate Omphala partes sustinet, quas eam habuisse testatur ipse fabulæ titulus, sed Hercules, imo Herculis gula et ingluvies [3].

1. Fragmentum 18, apud Nauck, *Tragic. græc. fragm.* (1889). Bentleii conjecturam recipio *(Epistola ad Millium,* p. 500 *Opusc. philolog.*, Lipsiæ 1781): Βοιωτίας ἐχώρισ' ἀκτὴν ἐκτεμών προβλῆτα πορθμῷ.

2. Curtius, *Hist. grecgue*, II, p. 541 in gallica translatione.

3. Koepke, *Zeitschr. f. Altherth.*, 1836, n° 75.

Haud equidem me fallit sæpissime a comœdiarum auctoribus inductum esse voracem Herculem. At in eo etiam alia exstabant vitia, inter quæ notissima erat et sæpe decantata ingens libidinum intemperantia, quam non comici tantum scriptores, sed etiam tragici haud semel attrectavere. Ex herois amoribus Sophocles *Trachiniarum* argumentum sumpserat : inde et Ionem suspicor satyricum suum opus descripsisse. Cum enim inter Herculem et Periclem studeret aliquam morum similitudinem effingere, non poterat in personarum heluatione, tanquam in re præcipua, immorari : quæ in Pericle omnino nulla erat, ut aperte a Plutarcho declaratur, qui summi viri victum frugi fuisse ait et a conviviis compotationibusque ita alienum, ut, quamdiu ille civitatis res tractaverit, tamdiu nunquam visus sit inter epulantes amicos assidens, ne scilicet liberiori lætantium festivitati dignitatem suam atque severitatem objectaret [1]. Quotidianos autem domus ejus sumptus ita modicos fuisse constat, ut propter parcimoniam illi succenserent aliquando conjux et liberi [2]. Quid vero? Bibacem noster eum induxisset, qui nunquam bibit? edacem qui lautos mensarum apparatus semper respuit? Fac Athenienses quantumvis fuisse ingeniosos et emunctæ naris homines : sub ebrii specie nunquam profecto agnovissent quem non nisi sobrium adspicere erant soliti.

Quod si Herculis effigiem ita noster adumbravit ut ad res amatorias ante omnia esse propensus videretur, quis inter spectatores adeo hebes poterat exsistere, quin sub ficta herois persona veram aliam latere imaginem intelligeret, si modo, quod ita fuisse jure licet conjicere, Periclis oris lineamenta ipso actoris vultu artificiose simulato redderentur, si corporis habitus, sermonis genus, capitis κεφαληγερέτου immanitas repræsentarentur ? Quæ omnia externa indicia ipsa morum similitudine confirmabantur. Jamdiu enim propter amo-

1. Plutarch., *Pericles*, VII : κλήσεις τε δείπνων καὶ τὴν τοιαύτην ἅπασαν φιλοφροσύνην καὶ συνήθειαν ἐξέλιπεν, ὡς ἐν οἷς ἐπολιτεύσατο χρόνοις μακροῖς γενομένοις, πρὸς μηδένα φίλων ἐπὶ δεῖπνον ἐλθεῖν. κ. τ. λ.

2. Plutarch., *Pericles*, XVI.

res male audiebat apud cives suos Pericles, et malevoli de eo rumores ferebantur [1], qui primum ab inimicis inventi, a comicis poetis in majus aucti [2], fama ipsa creverant, et a multitudine criminum semper avida eo facilius excipiebantur, quod privata viri vita, vel propter solam Aspasiæ familiaritatem, non sine reprehensione aliqua esse gravioribus austerisque hominibus videri poterat. Haud inepte quidem hoc fabulæ suæ argumentum Ionem, si modo elegit, elegisse fatendum est. In Periclem enim et Aspasiam mirum in modum cadebant quæcumque de Herculis in Omphalam amore poeta volebat effingere. Quemadmodum Hercules, Olympii Jovis filius, ad reginæ pedes languebat, virtutis laborumque immemor, neque jam ullam laudem eo nomine dignam esse arbitrabatur, nisi barbaræ mulieris servus factus, omnibus lydiarum deliciarum illecebris frueretur, ita Pericles, Olympius ille, Milesiæ meretricis pulchritudine devinctus, rempublicam videbatur oblivisci, et, quam a civibus suis acceperat, auctoritatem in mulierculæ manus tradere, quæ suo loco Atheniensium res gereret et summam potestatem exerceret. Non aliam vim inesse putandum est *Dejaniræ*, *Junonis*, *Helenæ* vocabulis, quibus comici poetæ soliti erant Aspasiam designare. Volebant nempe illi, ni fallor, significare virilem Periclis animum meretriciis artificiis sopitum esse et impotentia muliebri domitum, ejusque ingenii vires conjugalibus illecebris esse succisas. Eadem nimirum Ioni sententia fuit, qui, ut a Pericle Atheniensium mentes deterreret, regnantem in civitate ostendebat, pro sapientium virorum voluntate et prudentia, impudicæ et barbaræ mulieris libidinem.

Ab *Omphala* sane non aberant cœnarum spectacula, quibus vix carere poterat fabula in qua Hercules personam sustinebat. Ita se rem habuisse satis ipsa fragmenta docent :

Agitedum, puellæ; auferte

1. Plutarch., *Pericles*, XIII : cf. XXXIII.
2. Plutarchus (*Pericles*, XXXIII) versus Hermippi laudat in quibus Pericles βασιλεῦ σατύρων vocatur.

pocula et pateras..... [1]
..... eia age, bibe Pactoli flumina [2].

Risum movebat heros spectatoribus ostendens τριστοίχους ὀδόντας, et

... propter ingentem famem
deglutiebat ligna et carbunculos [3]

Sed primas, ut ex ipso dramatis titulo apparet, partes sustinebat Omphala, id est Aspasia, cujus impudicitia spectatorum oculis subjiciebatur. In fabulæ fragmentis agitur de muliebribus munditiis, quibus meretrices naturalem oris corporisque venustatem exornare solent, memoratur στίμμις, pigmentum scilicet quo pingendis superciliis Omphala utebatur ut, nigro colore adhibito, vividius splenderet oculorum acies [4]; memorantur et elegantium feminarum symphoniæ [5] et incitatus tibiarum sonus ad commovendos sensus aptissimus [6]. Tot tantisque deliciis victus Hercules, fortitudinis et magnorum consiliorum oblitus, voluptatibus indulgebat; leonina pelle exuta, deposita clava, molliorem tunicam induebat [7] et in volvendis fusis occupatus Omphalæ virilem vestitum relinquebat. Sequebantur, ni fallor, hymenæi cantus et novarum nuptiarum splendor quo moveretur spectatorum risus, cum, sub nuptæ specie robustus heros feminino apparatu incederet, per pulpita croceam vestem trahens, mariti vero partes ageret Omphala, delicata mulier, immania Herculis arma gerens [8]. Tum deliciis diffluens novi generis sponsa exclamare :

1. Ionis fragm. 20 apud Nauck, opere laudato.
2. Ionis fragm. 27 ap. Nauck.
3. Ionis fragm. 29, ap. Nauck.
4. Καὶ τὴν μέλαιναν στίμμιν ὀμματογράφον. Fragm. 25 ap. Nauck.
5. Fragm. 22 : λυδαὶ ψάλτριαι.
6. Fragm. 23 apud Nauck : αὐλὸς μαγάδις.
7. Vide tragœdiarum fragmentum 22, et fragmentum 59.
8. Cf. Luciani locum *(de Conscrib. histor.*, X), a Nieberdingio laudatum *(de Ionis vita, moribus et studiis*, p. 26) : ἑωρακέναι γάρ πού σε εἰκὸς γεγραμμένον (Ἡρακλέα) τῇ Ὀμφάλῃ δουλεύοντα πάνυ ἀλλόκοτον σκευὴν ἐσκευασμένον, ἐκείνην

Odores et unguenta
et Sardiniacam cutis curandæ artem callere
melius est quam illos insulæ Pelopis mores [1].
Perpetuam oportet me festivitatem agere [2].

Nec mora : implebantur crateres et pocula ; fumabant ardentibus quercuum truncis impositæ carnes [3] ; ad tibias extra numerum longis vestibus impeditus saltabat heros, ebriorumque turpia gerentium, et dicenda tacenda loquentium spectaculo, ut Aristophanis *Vespæ*, fabula claudebatur.

Si vera sunt quæ de *Omphala* conjecimus, animadvertendum est quanta libertate tum satyricorum dramatum scriptores in notandis civium, vel potentissimorum, pravis moribus aut in effingendis in eos criminibus uterentur : quod comicorum poetarum potius proprium fuisse scimus.

Per *Omphalam* prolusum est ad graviorem pugnam in qua adversus Periclem reliquas vires suas voluerunt optimates, Thucydide duce, ultimum experiri. Postquam vero, quamvis summa contentione essent enisi, ex acie victi recesserunt Athenisque abire testarum suffragio Thucydides coactus est, Ion, amicorum fortunam secutus, sive e civitate ejectus a victoribus sive sponte sua profectus est, Athenis et ipse videtur migravisse [4]. At saltem Chii eum commorantem videmus quatuor post annis (Ol. 84, 4. — 440 ante Ch. n.) cum Pericles adversus Samum Atheniensium classem duxit. Etenim cum

μὲν τὸν λέοντα αὐτοῦ περιβεβλημένην καὶ τὸ ξύλον ἐν τῇ χειρὶ ἔχουσαν, ὡς Ἡρακλέα δῆθεν οὖσαν, αὐτὸν δὲ ἐν κροκωτῷ καὶ πορφυρίδι, ἔρια ξαίνοντα, καὶ παιόμενον ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης τῷ σανδαλίῳ· καὶ τὸ θέαμα αἴσχιστον, ἀφεστῶσα ἡ ἐσθὴς τοῦ σώματος καὶ μὴ προσιζάνουσα, καὶ τοῦ θεοῦ τὸ ἀνδρῶδες ἀσχημόνως καταθηλυνόμενον.

1. Fragm. 24. ap. Nauck. His versibus, ut mihi videtur, Ion Spartanam Cimonis indolem Periclis moribus opponebat.

2. Fragm. 21, ap. Nauck.

3. Fragm. 28, ap. Nauck : ἐξανθρακώσας πυθμεν' εὔκηλον δρυός.

4. Curtius, *Hist. grecq.*, II, p. 456, in gallica translatione. — Superest etiamnunc lapis, ætate nostra in arce repertus, qui Ionis inter Athenienses commorationis memoriam servavit. In marmorea basi legitur hoc epigramma : [Ἴ]ων ἀνέθηκεν ἄγ[α]λ[μα? τ]ῇ Ἀθηναίῃ. (*C. I. Att.* I, 395 cum Koehleri commentariis. Cf. Kirchhoff, *Hermes*, V, 59). Non dubium est, auctoribus doctissimis viris, quin ab Ione Chio hoc monumentum erectum sit. Litterarum autem forma testatur epigramma non potuisse post Ol. 83 (448-444) lapidi incidi.

Sophocle, Periclis collega, Chii affuit epulis quarum memoriam noster in commentariis suis reliquit [1].

Quo tempore Athenas Ion reversus sit parum constat. Noster quidem in commentariis suis quoddam Periclis de Samiorum bello dictum servaverat, qui, recenti victoria tumens, se cum Agamemnone conferebat [2]; at incertum est num ex ipsius Periclis ore verba illa Ion audiverit, ita ut non possit affirmari eum Athenis extemplo post debellatam Samum (439 ante Ch. n.) se rursus contulisse. Nihil de eo ante annum 429/8 nobis traditum est, quo tempore narratur fabulas docuisse Athenis [3] : quod indicium est Ionem ante annum 429 Athenis esse commoratum ; inde etiam apparet eum jam tum cum Pericle in gratiam rediisse.

De Ionis vitæ fine nihil certi ad nos pervenit. Ejus morti Aristophanes in *Pace* alludens [4], eo tantum nomine nostrum memorat quod tumidius dithyramborum genus composuerat : unde facile colligas Ionem, omissa jamdudum publicarum rerum cura, ultimam vitæ suæ partem totam in eis studiis consumpsisse, quibus ab adolescentia erat deditus. Exsilii autem auctori cum superstes fuerit, si quid in ejus mente supererat in Periclem invidiæ, totum illud, qualecumque erat, ipso domesticarum calamitatum adspectu tolli potuit, quibus Atheniensium dux afflictus non familiarium suorum modo sed etiam inimicorum misericordiam commovit [5].

Ut paucis repetamus quæ in hoc capite exposita sunt, in iis adversarum factionum contentionibus quas inter se Cimon et Pericles, et si quis se eorum partibus addixit, instituerunt, Ion vix secundam, imo tertiam personam videtur egisse : quod quidem, cum propter peregrinam ejus originem, tum propter ipsam viri indolem minime mirum est. Illud vero in

1. Vide infra, cap. VI.
2. Plutarch., *Pericles*, XXVIII ; θαυμαστὸν δέ τι καὶ μέγα φρονῆσαι καταπολεμήσαντα τοὺς Σαμίους φησὶν αὐτὸν ὁ Ἴων, ὡς τοῦ μὲν Ἀγαμέμνονος ἔτεσι δέκα βάρβαρον πόλιν, αὐτοῦ δὲ μησὶν ἐννέα τοὺς πρώτους καὶ δυνατωτάτους Ἰώνων ἑλόντος.
3. Sch. Aristoph. ad *Pacem*, 835.
4. Plutarch., *Pericles*, XXVI ; XXXVII.
5. Plutarch., *Pericles* XXXI ; XXXVII.

primis, ni fallor, animadvertendum est, eum, naturam suam ad varias temporum vices accommodasse, quippe qui Cimonis amicus fidelis primum exstiterit atque fautor, deinde vero, salva tamen in amicum pietate, studia sua paulum immutaverit et alieno in Periclem animo esse desierit : ut, quemadmodum in iis quæ ad litteras pertinent, ita in iis quæ ad πολίτειαν referuntur, duplicem ex ipsis temporibus indolem traxisse videatur.

CAPUT IV

De Ionis tragœdiis

Ion postquam, restincto paulum ætatis fervore, civilibus certaminibus valedixit partiumque simultatibus, ad litteraria ludicra se videtur applicuisse, totus jam in illis, neque ullius rei nisi laudis poeticæ avarus : quam quidem, ut apud æquales suos, ita apud posteros adeptus est. In multis operum generibus versatus, tragœdia tamen præcipue floruit, in qua περιβόητος ἐγένετο, ut scholiastæ aiunt, καὶ πανὺ δόκιμος ἦν [1]. Cum Athenis tanta tragicorum poetarum copia exstiterit, inter quos plurimorum haud obscura nomina fuere, solus Ion, cum Achæo Eretriensi dignus habitus est qui in tragicorum canone ab Alexandriæ grammaticis post tres illos præstantes viros, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, inscriberetur. Multi præterea docti viri litteris dediti in judicandis ejus fabulis ingenii sui acumen exercere non dubitaverunt : inter quos Epigenes [2], Aristarchus ille Homericus [3] et Didymus [4]. Callimachus etiam de Ione meminerat in choliambis [5]. Denique philosophus Arcesilaus, in adolescentia, cum litterarum amore floreret, Ἴωνα ἐχαρακτήριζε : quæ verba, etsi obscuriora sunt, de tragœdiarum aut carminum Ionis interpretatione

1. Schol. ad Aristophanis *Pacem*, v. 835.
2. Athenæus, XI, 468 C. Cf. Lobeck, *Aglaophamus*, p. 340.
3. Athenæus, XIV, 634 C.
4. Athenæus, XI, 468 D; XIV, 634 E : ἐν ταῖς πρὸς Ἴωνα ἀντεξηγήσεσιν, quæ videntur ταῖς Ἀριστάρχου ἐξηγήσεσι respondisse.
5. Schol. ad Aristoph. *Pacem*, v. 835 : μέμνηται αὐτοῦ καὶ Καλλίμαχος ἐν τοῖς χωλιάμβοις.

intelligenda esse videntur, cum prius de Homeri Pindarique carminum virtutibus agatur [1]. Fortasse etiam Bato Sinopensis in libro quem περὶ Ἴωνος τοῦ ποιητοῦ scripserat [2] non nihil de Ionis operibus aut stilo attigerat.

Ætate jam maturior ad tragicam artem accessit Ion. Triginta enim aut paulo plures annos natus primam fabulam suam docuit Ol. 82 (452-448), ut ex scholiasta et Suida apparet [3]. Quod autem fuerit fabulæ argumentum omnino nescimus. Non destitit Ion inde usque ad vitæ finem scenico labori dare operam, quod quidem ex eo concludi potest, quod Aristophanes, mortuo jam poeta, duos ex ejus tragœdiis sumptos versus *Ranis* [4] suis, anno 406/5, inseruit : quod profecto non fecisset, nisi tum in Atheniensium mentibus viguisset Ionis fabularum memoria satis recens [5]. — Quot vero fabulas intra hoc fere triginta aut quadraginta annorum spatium, quo altera pars ejus vitæ continetur, scripserit, non consentiunt critici viri, et jam apud veteres de Ionis fabularum numero multum inter se diversa ferebantur. « Fabulas ejus, inquit Suidas, duodecim alii, alii triginta, quadraginta alii numero fuisse aiunt [6] ». Eam litem dirimere dum conatur Kœpkius et inter se discrepantia componere, duodecim in decem mutat, statuitque Ionem decem τριλογίας composuisse, quibus efficitur triginta fabularum numerus, aut decem τετραλογίας, id est quadraginta dramata [7]. At jure Welckerius hanc computandi rationem reprehendit, ut Alexandrinorum grammaticorum consuetudini admodum alienam, opinaturque, quæ etiam nostra sententia est, triginta aut quadraginta fabulas Ionem composuisse, ex quibus duodecim tantum Alexandrinorum

1. Diogen. Laert., VI, 4 : Ἴωνα δὲ καὶ ἐχαρακτήριζε νέος ὤν.
2. Athenæus, X, 436 f.
3. Schol. Aristoph. ad *Pacem*, v. 835 : ἤρξατο δὲ τὰς τραγῳδίας διδάσκειν ἐπὶ ὀγδοηκοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος, Cf. Suidas, s. v. Ἴων.
4. *Ranæ*, v. 706 et v. 1425.
5. Mortuus est Ion, ut infra videbimus, anno circiter 421 ante Ch. n.
6. Suidas, s. v. Ἴων.
7. Kœpke, *Zeitschrift f. Alterth.*, 1836, nº 75, p. 589. Cf. eumdem, *de Ionis vita et Fragm.*, p. 6.

grammaticorum in manibus fuerint. Cum Welckerii opinione congruit quod undecim numero sunt Ionis fabulæ titulo fragmentisque notæ; alia vero inter fragmenta quæ sub titulo incertarum fabularum eduntur, fieri potest ut quædam ex duodecima illa fabula, cujus titulus ipse periit, sumpta sint [1].

De *Omphala* jam in superiore capite disseruimus. Cetera, quæ ad nos pervenerunt, tragœdiarum fragmenta, adeo pauca, mutila et exilia sunt ut ex iis nihil, ut ita dicam, erui possit quo, non dico fabulæ ratio et textus, sed argumentum ipsum cognoscatur. Hi tragœdiarum tituli sunt : *Agamemno* (Ἀγαμέμνων), *Aclmena* (Ἀλκμήνη), *Argivi* (Ἀργεῖοι), *Laertes* (Λαέρτης), *Phœnix sive Cæneus* (Φοῖνιξ ἢ Καινεύς), *Phœnix altera* (Φοῖνιξ δεύτερος), *Magnum Drama* (Μέγα δρᾶμα), *Teucer* (Τεῦκρος), *Eurytidæ* (Εὐρυτίδαι), *Excubitores* (Φρουροί).

De *Agamemnone* quid dicam nescio, cum nihil nisi conjecturæ meræ de ea fabula afferri possint. Æschylumne in argumento tragœdiæ Ion secutus est, ut putat Nieberdingius [2], an, relicta Agamemnonis cæde, novum aliquid ausus, post Homerum quidem, Græcorum ducis cum Achille inimicitias et reconciliatam inter eos gratiam tractavit, ut vult Kœpkius [3]? Emunctæ naris esse dicas necesse est, quibus sufficiant ad tragœdiæ materiem enucleandam quatuor aut quinque versus e totius operis naufragio superstites, iique rebus omnino inanes.

Pauciora etiam et jejuniora *Alcmenæ* fragmenta sunt, neque eis examinatis quidquam proficitur [4]. Ex *Argivis* unus versus superest, ne is quidem fortasse integer. Quid vero? Ionem tragœdiam hoc nomine inscriptam composuisse ne

1. F. Schöll, *Rheinisches Museum* 1877, *Ueber Ion von Chius*. Cf. Welcker, *Die Griechischen Tragödien*, p. 941. Quod adjicit Welckerius, duodecim fabulas tantum actas esse, ceteras vero tantum esse scriptas, vix probabile videtur esse.

2. Nieberding, *de Ionis vita, moribus et studiis*, p. 18.

3. Köpke, *de Ionis vita et fragmentis*, p. 16. Cf. ejusdem auctoris disputationem, *Zeitschrift f. Alterth.* 1836, nos 73, 74, 75 ; cf. Welcker, *die Griechischen Tragödien*, p, 948.

4. Vide Welcker, *die Griech. Tragödien*, p. 954.

certum quidem est [1]. Incertius etiam est quid de *Laerte* statui debeat [2].

Phœnix tragœdia apud auctores veteres non semper sub eodem titulo memoratur. Tum enim simpliciter Φοῖνιξ [3], tum Φοῖνιξ ἢ Καινεύς [4], tum denique Φοῖνιξ δεύτερος nominatur [5]. Quæ titulorum varietas rei obscuritatem auget, nedum argumento lucem afferat. Si enim ubique et semper Φοῖνιξ simpliciter laudaretur, non multum a vero aberrare videretur, qui fabulam ex nono *Iliadis* libro sumptam esse arbitraretur. Phœnix enim Homeri præsertim versibus notus erat, in quibus mira tragœdiæ materia continetur : quam arripuit Euripides, ut alios omittam, ita tamen mutatis paululum rebus et herois indole, ut Hippolyti mores Phœnix quadamtenus referat, idemque fere sit utriusque fabulæ, *Phœnicis* scilicet et *Hippolyti*, argumentum. Potuit Ion, si Homerum ducem secutus est, Euripidis *Hippolyto* æmulari velle. At nihil ausim affirmare, cum nullum de ea re apud veteres exstet testimonium.

Quid autem sibi vult in titulo ille Καινεύς additus? Quid perplexi res habeat vidit Nieberdingius [6], cum Cæneus et Phœnix ille Homericus diversissimis temporibus vixerint. Nodum expedire conatus est Kœpkius, qui animadvertit in apri Calydonis venatione simul adfuisse Cæneum et Phœnicem, et inde totam Ionis fabulam deductam esse putat. Suspicatur præterea, cum propter duplicem titulum, — duplex enim titulus, inquit, satyricis tantum dramatibus aut comœdiis inscribitur, — tum propter duplicem Cænei naturam et quasdam res « a tragœdia ob apparatum scenicum alienas », Ionis drama sa-

1. Vide apud Nauck, *Fragm. Tragicorum græcorum*, p. 733, edit. 1889, minime spernendam conjecturam quam C. Friebel primus enuntiavit, Ἀργείοις mutans in ἀχρεῖοι — Cf. Welcker, *die Griech. Trag.*, p. 957.

2. Athenæus, VII, 318 e; Pollux, 9, 37.

3. Athenæus, III, 91 d; IV, 184 f.; X, 451 d; Schol. Aristoph. ad *Ranas*, v. 70 6

4. Athenæus, IV, 185 a; Hesychius, 4, p. 157.

5. Vide Walckenærii diatriben de *Phœnicis* Euripidei argumento (*Euripidis opera*, edit. Glasguæ, VIII, p. 259 sqq.).

6. Nieberding, op. laud., q. 33 sqq.

tyricum potius quam tragicum fuisse [1]. Quibus vero indiciis, si ea exceperis quæ affert, parum gravia [2], quibus fragmentis aut etiam verbis, qua denique auctoritate fretus ita statuerit, non video. — Præterea plures in Græcorum annalibus, aut si ita placet, sacris fabulis, Phœnices exstiterunt. Præter Homericum illum, alius eodem nomine fuit, Europæ et Agenoris filius, Phœnicæ gentis conditor, ut Apollodorus refert [3]; tertius etiam, pater Adonidis [4] : quorum tempora multo aptius cum fabulosa Cænei ætate congruunt. Quid vero, ut de Cæneo loquar, nonne ex Virgilio Cæneum quemdam cognoscimus, Trojanum heroa, Phœnicis homerici æqualem, qui in Ionis fabula partes agere potuit, et cujus nomen poeta romanus ex cyclico aliquo poemate fieri potest ut acceperit [5]? Inter omnes illos sive Phœnices, sive Cæneos, quem Ion elegerit in quo fabulæ totius cardo verteretur, incertum est, et diu sub judice lis profecto erit. Unum est de quo, ut mihi videtur, non potest dubitari : fabula, sive parum recto cothurno stetit, cum primum acta est, sive contra secundis spectatorum plausibus accepta est, in scenam reposita est, mutatis quibusdam partibus, ut ex verbo δεύτερος apparet [6].

Novumne aliquid et inexpertum in *Magno Dramate* Ion tentaverat? Est qui lyricum potius sive dithyrambicum, sive ex utroque genere mixtum carmen, quam justum drama, hoc singulari operis titulo designari arbitretur [7]. Doctissimus vir

1. Köpke, op. laud., p. 37 sqq. Cf. *Zeitschrift f. Alterth.*, 1836, nos 73 sqq. — Subtilius, ut mihi videtur, de hac fabula disputat Welcker, *die griech. Tragöd.*, p. 955 sqq.

2. Duplex ille titulus quo tanquam argumento Kœpkius ad sententiam suam defendendam utitur, reperitur etiam apud tragicos. Exemplo sit Æschyli Εὐρώπη ἢ Κᾶρες, cujus fragmentum est ab H. Weilio repertum. (H. Weil *Un fragment inédit de la bibliothèque de M. A.-F. Didot,* Paris, Didot, 1879) et fortasse ejusdem poetæ Σεμέλη ἢ Ὑδροφόροι. Quod ad « res a tragœdia alienas » attinet, non omnia sunt risu digna in Cænei fortuna, si reputaveris præsertim quæ de hujusmodi casibus antiqui senserint. Nihil joci inest Virgilii versibus Æneid. VI, 448.

3. Apollodorus (Teubner) 3, 1, 1, 2.

4. Apollodorus, 3, 14, 4.

5. *Æneid.* IX, 573 : (Sternit) Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus.

6. Ea et Welckerii sententia est. *(Die griech. Trag.*, p. 957.)

7. Nieberding, op. laud., p. 24.

E. Egger, propter insolemnem omnino fabulæ inscriptionem, ut videtur, insolemne et argumentum dramatis fuisse suspicatur, ejusque generis quod in litterariis controversiis potius quam in heroicis aut divinis rebus versaretur [1]; alii Μέγα Δρᾶμα fabulam inscriptam fuisse putant a grammaticis ob magnum scenicæ rei apparatum et ingentem actorum numerum [2]. Sive ab Ione ipso sive a grammaticis titulus est repertus, libentius iis assentiar qui eo scenicum apparatum significatum esse credunt, cum præsertim reputem magnopere auctam esse tum spectaculorum magnificentiam sive poetarum ipsorum, sive artificum et doctorum hominum inventis [3].

De *Teucro* et *Eurytidis* vix paulo evidentiora licet conjicere, cum fere nulla supersint harum tragœdiarum frustula. Attamen cum Teucer clarus præsertim esset tum patris ira et nova Salamine in insula Cypro condita, tum lite quam ei Ulysses, post Ajacis mortem intendit, heroem fraternæ cædis accusans [4], poeta Chius vix potuit trita non sequi et in dramate alterutrum ex his duobus argumentis non explicare. Itaque *Teucer*, ut veri simile est, de Teucri cum Eurysace, post Ajacis interitum, reditu et exsilio tractabat [5]; aut heroem ostendebat adversus falsa crimina se defendentem et magnanimitate sua Ulyssis dolos diruentem [6]. Quod ad *Eurytidas* attinet, consentiunt omnes critici viri [7]. Eurytidæ enim tantum sua crudeli nece, postquam pater eorum ab

1. E. Egger. *Histoire de la Critique chez les Grecs*, 1886, p. 38, n. 4 : « Peut-être le Μέγα δράμα d'Ion était-il tout entier une satire littéraire. »

2. Köpke, op. laud., p. 26; cf. *Zeitschrift f. Alterth.* 1836, nº 74. Cf. Welckerium (op. laud., p. 957) qui huic opinioni non assentitur, sed putat fabulam tantum scriptam, non actam esse.

3. Multum τῇ σκηνογραφίᾳ addiderat Sophocles; ipsa Æschyli ætate Agatharchus pictor, Democritus et Anaxagoras coloribus et adumbratione oculos decipiendi artem aut repererant aut perfecerant. (Vitruvius, VII, in præfatione).

4. Welckerius, *die Griech. Trag.*, p. 951 sqq.

5. Hoc argumentum tractabat Sophoclis tragœdia quæ Τεῦκρος inscripta erat (V. Nauckium, *Fragm. Tr. græc.*, p. 255, edit. 1889).

6. Apud rhetores romanos alterum quoddam de eadem re argumentum vulgatum erat, in quo non Ulysses Teucrum, sed Teucer Ulyssem accusabat. Vide Welckerium, op. laud., p. 953 sqq.

7. Welckerius, op. laud., p. 954.

Hercule victus est, innotuerant, et vix dubium esse potest quin Ionis fabula Œchaliæ principum cædem et Iolæ vim allatam exponeret. Fortasse Ion in actus digesserat ea quæ apud Sophoclem de Œchaliæ expugnatione in *Trachiniis* narrantur. Potuit etiam materiam fabulæ sive ex *Œchaliæ expugnatione* a Creophylo Samio, poeta cyclico, scripta, sive ex *Heracleide*, Pisandri opere, desumere [1].

De *Excubitoribus*, pretiosissimam habemus Aristophanis scholiastæ annotationem, qui *Ranarum* versum

ποθεῖ μὲν ἐχθαίρει δὲ, βούλεται δ'ἔχειν

interpretatione illustrans, hunc locum poetam fere ad verbum mutuatum esse ait ex Ionis *Excubitoribus* [2]. Helenæ, inquit, verba sunt cum Ulysse confabulantis. Hinc patet in Ionis fabula Helenam Ulyssi obviam fuisse. Quo vero in loco et in quibus rerum articulis? Facile res explanabitur, si Euripidis *Hecubam* volutaveris. Hic enim paucis verbis adumbrata invenies præclaræ tragœdiæ lineamenta, cum cujus argumento mire congruit quod de Ionis loco attulit scholiasta. Hi sunt Euripidis versus :

Hecuba : Scis quando venisti Ilii explorator,
lacero amictu deformis, et ab oculis
cruentæ guttæ barbam tuam irrigabant?
Ulysses : Novi : medullis hæsit hujus rei memoria.
Hecuba : Agnovit vero te Helena, et soli mihi (te adesse) nuntiavit.
Ulysses : Meminimus in periculum ingens nos venisse.
Hecuba : Attigisti vero genua mea, humilis factus.
Ulysses : Et immorabatur (tanquam morte languens) in tua veste manus mea.
Hecuba : Servavi te igitur et ex urbe Trojana emisi.
Ulysses : Itaque nunc etiam hanc solis lucem adspicio.
Hecuba : Quid sane dicebas, cum servus meus tum eras?
Ulysses : Multorum sermonum inventa, ne morerer [3].

1. Vide Croiset, *Hist. de la littérat. grecque*, I, p. 453.
2. Schol. *Ranarum*, 1425 : παρὰ τὰ ἐκ τῶν Ἴωνος Φρουρῶν, ὅπου ἡ Ἑλένη πρὸς Ὀδυσσέα φησί · σιγᾷ μὲν, ἐχθαίρει δὲ, βούλεταί γε μήν.
3. *Hecuba*, v. 239 sqq.

Acta est autem Hecuba, quoad conjectare licet, Ol. 88 (anno circiter 424) [1]. *Excubitores* haud absurdum est posterius tantum in scenam inductos esse arbitrari, cum in *Ranis*, id est anno 406/5, laudetur Ionis versus ex ea fabula petitus. Quibus omnibus inter se collatis, eo adducimur ut conjicianmus apud Euripidem ipsum fabulæ suæ argumentum Ionem invenisse, et eximios illos æmuli sui versus in tragœdiæ speciem amplificavisse [2]. Ceterum, jam in *Odyssea* [3] et in *Parva Iliade* a Lesche composita [4] tota res fuerat exposita, sed multo minus tragice, cum Ulysses Helenæ tantum occurreret, neque usquam narraretur coram Hecuba adstitisse [5]. Quid vero? De qua alia persona commodius Helenæ verba, a scholiasta laudata

σιγᾷ μὲν, ἐχθαίρει δὲ, βούλεταί γε μήν

dici poterant, quam de Hecuba, ad cujus genua supplex, inter metum et spem diu suspensus, accumbebat Ulysses? His verbis significabat Helena precibus victam Hecubam esse et Ulyssis animum conabatur erigere. Non, mehercule, dubitari posse credo quin ita se res habuerit in Ionis tragœdia [6].

Non deerant ceterum Ioni auxilia, quibus adjutus eximium opus conderet : ad quod perficiendum libro Iliadis decimo uti poterat, in quo narratur Diomedis et Ulyssis nocturnum iter ad Trojanorum mœnia pergentium, ut Rhesi

1. Vide H. Weil, *Sept Tragédies d'Euripide*, p. 209 sqq.

2. Omnino erraverunt in sua *Excubitorum* interpretatione Nieberdingius (op. laud., p. 41) et Kœpkius (op. laud., p. 45. Cf. *Zeitschrift. f. Alterth.*, 1836, nº 74). Uterque statuit idem fabulæ argumentum fuisse, quod tractaverat Æschylus in Ἕκτορος λύτροις. Chorus haud dubie e custodibus Trojanis constabat, quos dolis suis Ulysses fefellerat.

3. *Odyssea*, IV, 242 sqq.

4. Croiset, *Hist. de la Littérat. grecq.* I. p. 439.

5. Parvæ Iliadis summam continet Proclus, *Chrestom.*, p. 460, apud Nauck, *Fragm. Tragic. græc.*, p. 741 : Ὀδυσσεὺς δὲ αἰκισάμενος ἑαυτὸν, κατάσκοπος εἰς Ἴλιον παραγίνεται. καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ' Ἑλένης περὶ τῆς ἁλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται, κτείνας τέ τινας τῶν Τρώων, ἐπὶ τὰς ναῦς ἀφικνεῖται. Hoc fabulæ argumentum fuisse opinatur Welckerius, *die griech. Trag.*, p. 948 sqq. — Cf. *Rhesum*, 710, in quo loco idem Ulyssis facinus memoratur.

6. Sic quoque statuit F. Schœllius, *Ueber Ion von Chius* (*Rheinisches Museum*, 1877).

equis et curru, interfecto Thracum rege, potirentur [1]. Potuit et Sophoclis *Sinonem* exemplar sequi (si modo *Sinon* ante *Excubitores* actus est, quod omnino nescimus), cujus argumentum idem fuit quod apud Virgilium explicatur [2]. Ejusdem auctoris denique exstabat, ut quidam existimavere, quædam Πτωχεία, cujus argumentum minime videtur ab Ionis tragœdiæ argumento differre [3]. Fatendum est vero non indignum summis poetis, æqualibus suis, Ionem se præbuisse in eligenda saltem tragœdiæ materia. Magnum enim et gravitate plenum spectaculum esse poterat, non jam, ut in Sophoclis *Sinone*, obscurum quemdam et unum e multis, Sinonem nescio quem, sed eximium Græcorum ipsum ducem, et Trojanis hostem infensissimum, in hostili urbe inter pericula versari, Helenæ occurrere inopinanti, agnosci sub mentita pannorum et vulnerum specie, et ad Hecubam adductum, tot natorum funeribus dolore accensam, salutem suam ejus misericordiæ debere quam inimicissimam æquum erat judicare. Si digna tam præclaro argumento Ionis tragœdia fuit, res omnium maxime deflenda est, quod periit.

Conjecerunt quidam [4] Ionem τριλογιάς aut τετραλογίας scripsisse. Sed animadvertendum est primum tragœdiarum titulos, qui servati sunt, fortuito, non certo ordine ad nos pervenisse, ita ut inanem operam consumere dici possit, si quis inter eas vinculum quærat, quasi inter se cohæreant. Præterea, si Ionis indolem et tempora quibus scripsit respexeris, vix nostro assignabis tetralogias Æschyleo more compositas. Ingentis enim spiritus vatem requirunt amplisssima illa et σεμνά, ut græce dicam, opera quæ condebat Æschylus. Tantum onus Ionis humeri vix tulissent. Si autem reputemus in quo tum statu esset scena attica, cum Ion, anno circiter 452, primam fabulam docuit, videbimus Sophoclem, ipsa Æschyli

1. Cum adeo incertum sit quis Rhesi auctor fuerit, facere non possum quin de Ione cogitem. Sed nihil prodest pro incertis incerta ponere.
2. *Æneid.* II, v. 57 sqq,
3. Welckerius, op. laud. p. 146.
4. Koepkius (*Zeitschrift f. d. Alterth.*, 1836, n^{os} 73, 74, 75) et O. Muellerus (*Litterat. grecque*, II, p. 534 in gallica translatione).

ætate, novum morem induxisse fabulas scribendi non jam, ut antea, inter se continua ipsarum rerum serie aut arctiore quodam vinculo connexas, sed argumentis varias et sejunctas [1] : quæ quanquam tum etiam numero quatuor erant, nihil tamen inter se commune habebant, nisi quod in eodem theatro et iisdem festis diebus agebantur. Constat autem hunc morem secundo vulgi favore acceptum esse et ab Æschylo ipso esse comprobatum, qui tragœdiarum suarum cognationem laxiorem aliquando esse passus est. Utcumque se ea res habet, post Æschylum videtur mos tetralogiarum obsolevisse : quod si qui post ejus mortem hoc componendi genus etiam observavere, ut Philocles cujus operibus annumerabatur Πανδιονίς [2], et Melitus qui fertur Οἰδιποδείαν scripsisse [3], horum poetarum fabulæ a consuetudine tum vigente prorsus alienæ fuerunt. Exemplum Sophoclis Euripides secutus est, neque unquam arctissimo vinculo fabulas suas inter se connectendas fortasse curavit [4]. Quid erat cur Ion jam obsoletum genus retineret, imo, ut verius dicam, prope jam ab omnibus derelictum restitueret, cum novam Sophoclis artem vulgi favor sequeretur, et tanta laude floreret Euripides, cujus exemplo noster docebatur quam grata universæ plebi nova componendi ratio esset, et quem sibi ducem potius, quam Æschylum, elegisse poetam nostrum non dubitaverim arbitrari.

Cogemurne igitur de Ionis tragœdiis omnia omnino ignorare? Non omnia quidem; sed pauca sunt, fateor, quæ quis ex fragmentis et velut minutissimo pulvere possit extrahere. Quædam tamen, nec spernenda, cum sola sint, licet invenire.

Primum enim ipsis tragœdiarum titulis admonemur fabu-

1. Suidas, s. v. Σοφοκλῆς : καὶ αὐτὸς (l. πρῶτος) ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν. Quæ verba, quanquam obscuriora, multi hoc modo intellexerunt.

2. Schol. Aristoph. ad *Aves*, v. 281.

3. Aristoteles apud Schol. Platon. *Apolog.*, 18 b.

4. Vide Bergkium, *Griech. Literat.*, III, p. 230 sqq., cum notis 111 et 112; cf. Patin, *Tragédie grecque*, I, p. 30.

larum suarum argumenta ex Homero sæpe sumpsisse poetam nostrum. Inde, ut veri simile est, profecti sunt *Agamemno, Argivi, Laertes, Phœnix*. Videtur Ion in ea re saltem Æschyli discipulus fuisse, qui tragœdias suas Homericarum epularum τεμάχη aiebat esse [1]. Ceterum in quibusdam fragmentorum versibus aut verbis inveniuntur nonnulla quæ Homericam orationem produnt [2] : res minime miranda in homine Chio.

Pro certo etiam haberi potest Ionem tribus iis tragœdiis, quas docere necesse erat si quis scenici certaminis particeps esse volebat, satyricum drama plerumque adjecisse. Quod etsi ex ipsis fabularum fragmentis non apparet, vix tamen dubium esse potest. Nam ipsius Ionis verba tenemus a Plutarcho tradita [3] : « Censebat Ion, ait Plutarchus, ut in *tragico ludo*, ita in virtute aliquam *satyricam* partem omnino esse oportere ». Vox omnino (πάντως) satis manifestum facit raro saltem Ionem a solemni more deflexisse.

Videtur etiam sæpius fabularum occasionem arripuisse ut præsentibus civitatis temporibus alluderet. Videmus jam quæ de Spartanorum consilio et animi robore scripserat [4]. Ejusdum gentis et austeros mores memorat [5]. Denique in tota fabula cui nomen *Omphala* inscriptum est, videtur poeta, ut jam disseruimus, sub levi et pellucido verborum prætextu, ætatis suæ res aut homines ludibrio habuisse [6].

Nihil optatius nobis possit contingere, quam plane nosse quid Ion de heroibus et antiquis fabulis, de rebus divinis et diis senserit. De ea re sane ne unum quidem in tragœdiarum fragmentis expressum verbum reperias. Attamen aliunde

1. Athenæus, VIII, 347 e. Τὰς αὐτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι ἔλεγεν τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων. Cf. Schneidewin (*Philologus*, VIII. 1853, p. 734) qui suspicatur hoc Æschyli dictum ab Ione servatum esse in operibus prosa oratione scriptis.

2. Vide Fragm. 1 (Nauck 1889); cf. Iliad XXIII, 27 et IX, 122, 265; fragm. 10 κελαρύζετε vox homerica aut epica est; sed pauca hæc ipsa sunt, propter fragmentorum penuriam.

3. Plutarch., *Pericles*, V : ἀλλ' Ἴωνα μὲν, ὥσπερ τραγικὴν διδασκαλίαν, ἀξιοῦντα τὴν ἀρετὴν ἔχειν τι πάντως καὶ σατυρικὸν μέρος ἐῶμεν.

4. Vide supra, p. 32. Fragm. 63 ap. Nauck (Edit. secunda 1889).

5. Nauck, Fragm. 24 : Τὸν Πέλοπος ἐν νήσῳ τρόπον.

6. Vide superius caput hujus libelli.

satis certa, quamvis pauca, possumus conjicere. Ex secunda ad Sophoclis *Antigonen* hypothesi [1] intelligimus eum multa cum libertate ea tractavisse quæ de græcarum civitatum heroibus tradebantur. In dithyrambo enim narraverat Ismenam et Antigonam a Laodamante, Eteoclis filio, in templo Junonis ustas esse. Quantum ea aberrent ab iis quæ a Sophocle memorantur nemo non videt. Non multo magis erga deos se reverentem præbuit, quorum genus et originem mutare sæpe non dubitabat. Sic Καιρὸν deum dixerat esse παίδων Διὸς νεώτατον : quod quidem non animadvertisset Pausanias, si vulgarem de illo deo opinionem poeta secutus esset [2]. Briareum, quem finxit Hesiodus Terra et Cœlo natum [3], θαλάσσας filium idem Ion esse aiebat [4]. Denique Œnopion, cui communi consensu Græcia Dionysum patrem assignabat, Thesei, si Ioni credimus, filius fuit [5]. Hoc in ultimo exemplo perspicuum est qua de causa antiquum de Œnopione μῦθον mutaverit : cum Œnopio Chiorum urbis conditor haberetur, voluit profecto poeta patriam suam Athenis cognatam esse fingere. Quod ad ceteros attinet, res est obscurior. At, mea quidem sententia, hoc ipsum per se non leve pondus habet, si recte volumus qualia fuerint Ionis tragica opera judicare, quod sæpius, omissa communi de diis aut heroibus opinione, nova ipse fingere non dubitavit. Etenim quæ in dithyrambis aut lyricis poematibus ausus est, eadem sane in tragœdiis audebat. Quid vero? Nonne scimus Euripidis præsertim hunc morem et rationem fuisse in componendis dramatibus, ut nihil non sibi concessum arbitraretur in interpretandis veteribus de diis fabulis? In hac operum suorum parte igitur haud dubie Euripidem potius imitatus est poeta Chius, quam

1. Apud Tournier, *Tragédies de Sophocle*, p. 467 : στασιάζεται δὲ τὰ περὶ τὴν ἡρωΐδα ἱστορούμενα καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Ἰσμήνην. Ὁ μὲν Ἴων ἐν τοῖς διθυράμβοις καταπρησθῆναί φησιν ἀμφοτέρας ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἥρας ὑπὸ Λαοδάμαντος τοῦ Ἐτεοκλέους.

2. Pausanias, V, 14.

3. Hesiod., *Theogon.*, 149.

4. In Eudociæ loco apud Kœpkium laudato. *(de Ionis vita et fragm. p. 62).*

5. In elegiacis fragm. apud Bergkium, *Lyr. græc.* — Cf. Plutarch., *Theseus*, XX.

Æschylum aut Sophoclem, pios viros antiqua sanctitate et religione graves, novarum opinionum minime sectatores.

Diligentissimus etiam fuisse videtur Ion in describendis gentium aut personarum, quas in scenam inducebat, institutis et moribus, et, fidus interpres, ad veritatis similitudinem ea expressisse. Cum in *Omphala* incedit chorus ex Lydiæ mulieribus compositus, antiqua carmina cantare dicitur, quæ pro certo habere possumus Ionem in Asia ipsa audivisse, quorumque imaginem Atheniensium auribus reddere conabatur [1]. Nominatur et in ejusdem fabulæ fragmentis λυδὸς μάγαδις, ad cujus sonitum, ut veri simile est, cantus illi edebantur. In alia incerta fabula, anus quædam Ægyptia aut Syria, aut Lydia, vetula nutrix, dum supplex et sordibus induta prodit, quemdam indigenam morem memorat, quem Ion bene norat, ut qui haud dubie vicinas eas gentes invisisset aut a certissimis rerum testibus rem audivisset [2]. Personarum vestes et habitus profecto cum illis moribus congruebant : neque, opinor, Atheniensibus injucundum erat in theatro suo exterarum gentium ornatum apparatumque contemplari [3].

Qualis fuerit in depingendis personarum affectibus et naturis si quæsiverimus vix tenue lumen afferet *Excubitorum* versus de quo paulo supra diximus. Monemur tamen illo Hecubæ silentio [4] Ioni non omnino irrita excidisse veteris magistri exempla. Ut Æschylus sæpe, sic Ion semel certe personas finxit in scena mutas, cum in earum pectore vehementior aliquis motus oriretur. At periculosum sit ultra velle disquirere.

1. Fragmenta 22 et 23 ap, Nauck. op. laud.
2. Fragm. 54, ap. Nauck : ἐξῆλθον ὑμῶν ἱκέτις ἡϐώντων τροφός
παίδων βόθρους λιποῦσα πενθητηρίους.
Cf. Plutarch., *Consolat. ad Apollon.*, 133 : τούτων γὰρ (τῶν Αἰγυπτίων καὶ Συρίων καὶ Λυδῶν) τοὺς μὲν εἰς βόθρους τινὰς καταδύντας ἱστοροῦσιν, ἐπὶ πλείους ἡμέρας μένειν, μηδὲ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὁρᾶν βουλομένους ἐπειδὴ καὶ ὁ τετελευτηκὼς ἀπεστέρηται τούτου. Ἴων οὖν ὁ τραγικὸς ποιητὴς, οὐκ ἀνήκοος ὢν τῆς τούτων εὐηθείας, πεποίηκέ τινα λέγουσαν · ἐξῆλθον κ. τ. λ.
3. De Ionis personarum cultu et vestibus, cf. Fragmenta 25, 59 (Nauck, op. laud.)
4. Vide supra, p. 52, *Excubitorum* versum.

Ceterum non uni magistro sese Ion addixerat; testatur poetæ nostri ipsa oratio eum non æqualium modo sed veterum etiam auctorum scripta diligenti manu versavisse. Ut quædam apud eum audacius translata verba Æschyleum scribendi genus referunt [1], ita alia quædam, ni fallor, ad Euripideæ orationis morem revocari possunt, et rhetoricam paulo plus æquo redolent. Exempli gratia liceat hos *Phœnicis* versus laudare :

...Et in terra leonis magis laudo
quam echini miseras artes, [videt,
qui quotiescumque alia (animalia) validiora impetum in se facere
in orbem volutatus, spinis circummuniens corpus,
jacet neque mordere neque tangere potest.
Et (in mari) inter saxa viventem cirris exsanguibus (instructum)
odi colores mutantem polypum [2].

At in hoc ipso loco, dum in explicandis et amplificandis sententiis Euripidem in memoriam nobis revocat, in singulis verbis antiquiorem poetam, Theognidem scilicet, recordatur. In Theognidis enim elegiis jam hanc e polypo ductam similitudinem, et voces nonnullas, quibus Ion usus est, reperimus [3].

Non tamen negaverim non omnia ab aliis mutuatum esse Ionem : indolem suam haud dubie sequi debuit et ab æqualibus suis propriis quibusdam virtutibus aut vitiis discrepare.

1. Exemplo sint καταφράκτοις ψυχαῖς (fr. 6, Nauck); ἐκ τῶν ἀέλπτων μᾶλλον ὤρχησαι φρένας (fr. 50); ὀλιγοδρανέων (fr. 53); αὐλὸς ἀλέκτωρ (fr. 59); ῥοθεῖ δέ τοι σύριγξ ἀλέκτωρ (fr. 45, cum quo conferas Æschyl. *Supplic.*, 209 : Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε νῦν κικλήσκετε. Scholiasta ὄρνιν vocem interpretans : τὸν ἥλιον inquit; ἐξανίστησι γὰρ ἡμᾶς ὡς ὁ ἀλεκτρύων). Vide etiam passim in fragmentis satis multa composita verba ab Æschyleo more non aliena.

2. Fragm. 38 et 36 (Nauck). Conjecturam Meinekii sequimur qui jungenda duo hæc fragmenta arbitratur (*Philologus*, 1860, p. 143). Quæ de singulis quibusdam mutandis locis addit non admisimus. — Liceat et *Argivorum* illud : παλαιὸν οἰκίας σάρον cum Euripideæ *Medeæ* versu 48 conferre, in quo legitur : παλαιὸν οἴκων κτῆμα.

3. Theognis, v. 65 sqq.

... γνώσῃ γὰρ ὀϊζυρῶν φρένας ἀνδρῶν,
ὥς σφιν ἐπ' ἔργοισιν πίστις ἔπ' οὐδεμία,
ἀλλὰ δόλους τ' ἀπάτας τε πολυπλοκίας τ' ἐφίλησαν, κ. τ. λ.

Cf. eumdem, v. 215 sqq. : Πολύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ,
τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.
νῦν μὲν τῇδ' ἐφέπου, τοτὲ δ' ἀλλοῖς χρόα γίνου.
κρέσσων τοι σοφίη γίνεται ἀτροπίης.

Fragmentorum Ionis textum vide in Appendice.

In fragmentis vero vitia præsertim conspicua sunt : quibus annumerare possumus amorem nimium res per se simplices magno verborum ambitu circumscribendi, si modo ex his *Phœnicis* versibus judicium facimus :

> Quercus me sudor
> et fruticem magnitudine (æquans) virga et Ægyptia
> pascit, ex lino ducta, vestis venationi apta pedica [1].

Istis ambagibus significare poeta voluit aucupis instrumenta quibus vitam sibi quærit : visco scilicet oblitas virgas et retia. Longe hæc absunt a Sophoclis *Philoctetæ* subtilitate.

Hactenus nos, qui Ionis tragœdiarum ruinas tantum, ut ita dicam, ante occulos habemus, de poeta judicamus. Qua vero fuit apud Aristarchos, quibus integra ejus opera legere datum est, gratia? Viri famæ nocuit, quod æmulos habuit in arte sua summos poetas, quibus præstantiores neque gens neque ætas tulit unquam, neque feret. « Quid, ait Longinus [2], num in carminibus componendis Bacchylides esse malis quam Pindarus? In tragœdia vero Ion Chius quam, medius fidius, Sophocles, quod illi quidem sine macula et in expolito genere omnia elegantissime scripserunt [3], Pindarus autem et Sophocles tum, ut ita dicam, incendunt omnia spiritus vi et impetu, tum contra absurde et sæpe, exstincta flamma ingenii, cadunt infelicissimi? Nemo profecto, si modo mente sana sit, omnia ordine Ionis opera in unum collecta tanti æstimet, quanti unam tragœdiam *Œdipum*. » Hinc elucet antiquitatis criticos viros existimavisse easdem fere in tragœdia Ionis virtutes esse, quibus Bacchylides in lyrico genere eminuerat : arte magis quam vena divites, nitidi ambo et flori-

1. Fragm. 40 (Nauck).
2. Longinus, περὶ ὕψους, 33 ;
3. Non omnino congruit hoc Longini judicium cum grammaticorum testimoniis, e quibus apparet Ionem iis vocibus interdum usum esse quæ peregrinitatem sonarent aut insolita ideoque subobscura essent (fragm. 4 ; 8 ; 16 ; 31 ; 35 ; 43, apud Nauck) ; exquisitius quædam dixerat (fragm. 7 ; 48 ;) plura parum proprie (fragm. 14 ; 17 ; 19 ; 32 ; 37) ; verborum etiam genera inter se ab eo confusa erant (fragm. 25 ; 26 ; 33 ; 34). Eas nimirum Longinus maculas leviores esse arbitratus est, quibus totius operis summa vix inquinaretur.

bus exornati fuerunt, et ea verborum suavitate jucundi qua rotundæ et teretes Atheniensium aures delectarentur ; non ii vero qui supra mediocrem altitudinem sublimi volatu assurgerent et secum raperent audientium aut spectantium animos. Cum Longini judicio mirum in modum congruisse videtur Atheniensium ipsorum de Ione sententia. Quamvis indole mobili et amata pernix relinquere, nunquam attica gens in vera poetarum suorum virtute æstimanda aberravit, et tragicos suos pro cujusque meritis coluit assidue. Longe supra alios, tria scenæ lumina, Æschylum, Sophoclem et Euripidem, et dum vixerunt et postquam defuncti sunt, studiis suis prosecuta est. Hos γονίμους ποιητὰς habuit et quasi divinos [1]; hos ut ex inferis suscitet Plutonem Dionysus adit [2]. Attamen, inter ceteram turbam non omnes ut μειρακύλλια et ἐπιφυλλίδας [3] respuit : sunt quos interdum suffragiis suis probaverit ut magistris proximos, quanquam longo proximos intervallo. Inter eos primas videtur Ion tenuisse, Agathoni antepositus, Iophonti Sophoclis filio et hæredi certe æquatus. Sub archonte Epaminone, Ol. 87, 4 (429/8) in tragico certamine tertium locum, post Euripidem et Iophontem, qui fortasse patris sui fabulas docuerat, poeta noster obtinuit [4]. In alio vero certamine, in quo dithyrambo simul et tragœdia de palma contenderat, primo loco dignus habitus est [5].

1. Aristoph., *Ranæ*, 96.
2. Aristoph. *Ranas* vide.
3. Aristoph., *Ranæ*, 89 ; 92.
4. *Hippolyti* ὑπόθεσις : ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἐπαμείνονος ἄρχοτνος, Ὀλυμπιάδι πζ′, ἔτει δ′. Πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰοφῶν, τρίτος Ἴων.
5. Sch. Aristoph. ad *Pacem*, 835 : φασὶ δὲ αὐτὸν δμοῦ διθύραμβον καὶ τρογῳδίαν ἀγωνισάμενον ἐν τῇ Ἀττικῇ νικῆσαι. Liberalis homo, et dives, Ion, ut victoriam suam celebraret, Atheniensibus singulis plenam Chio vino urnam distribuit : καὶ εὐνοίας χάριν προῖκα χῖον οἶνον πέμψαι Ἀθηναῖοις (Schol., loco laud.). Cf. Athenæum 1, 3 : ὁ δὲ Χῖος Ἴων τραγῳδίαν νικήσας Ἀθήνῃσιν ἑκάστῳ τῶν Ἀθηναίων ἔδωκε Χῖον κεράμιον : ex quo loco prave intellecto Nieberdingius (op. laud. p. 5). concludit « Ioni in patria sua vasorum fictilium fabricas fuisse. » — Præter tragœdias comœdias etiam ab Ione scriptas esse ait Aristophanis scholiosta (*Aves*, 835). Scribam erravisse putant Niberdingius (op. laud., p. 7) et Kœpkius (op. laud., p. 10), et κωμῳδίας pro τραγῳδίας scripsisse, quod ego non ausim contendere. Cum in tot studiorum generibus Ion versatus sit, nihil obstat quin comœdias etiam componere tentaverit. (Vide Welcker, *die Griech. Trag.*, p. 943). Sed de iis nihil nobis traditum est.

CAPUT V

De dithyrambicis Ionis carminibus.

Ex iis quæ de Ionis tragœdiis exposuimus videtur in eo exstitisse quædam diversissimorum studiorum repugnantia, adeo ut eum in se contraxisse dicas tum ea quæ prioris quinti sæculi partis propria quadammodo fuerunt, tum quæ peculiaria habuit altera ejusdem sæculi pars. Dum medius inter utramque ætatem fluctuat, aliquid adhuc ex more Æschyleo, nempe in scribendi genere et depingendis personarum naturis, retinet; non tamen alienus est ab Euripidea sententiarum artisque novitate. Quæ adolescens a vetere magistro didicit, non perdidit omnia, sed non dubitat, maturior jam factus, parere minoribus aliisque vestigiis insistere.

Quo studio Ion recentia poetarum inventa assectatus sit id ipsum aperte declarat, quod multus fuit in componendis dithyrambicis carminibus. Nullum enim aliud invenias poematum genus in quo sibi æque fas esse auctores duxerint institutas a superiorum temporum scriptoribus leges perturbare, nullum in quo plura a pluribus intra pauciores annos mutata sint. Ut veterem illum Arionis dithyrambum omittam, ex quo paulatim orta Græcorum tragœdia ad expletam perfectamque formam perducta est, vix, Pisistratidarum ætate, instaurati erant cyclici chori, cum auctoribus iis ipsis, qui hunc morem reduxerant[1], diversam viam ingredi cœperunt,

1. Bergk, *Griech. Literat.*, II, p. 531. Anno 508-4 ant. Ch. n. primum cyclici ludi Athenis instituti esse videntur.

neque destiterunt novis elementis misceri, temperari et, ut quidam sentiunt, inquinari. Jam Lasi Hermionensis dithyrambi a Corinthiaco choro argumentis, rhythmis, metris differebant [1]. Mox [2], dum plebis judicio poetæ inserviunt et *theatrocratiæ*, ut ait Plato [3], morem gerunt, in lyricis carminibus tragicam vim referre conantur; spretis prioris ætatis legibus, μιμητικοὺς jam, ut Aristotelis verbo utar, dithyrambos componunt [4] et varios canendi sonos vocisque et tibiarum inflexiones depingendis animorum affectibus aptiores adhibent [5]. Melanippidem satis sit nominare, Phrynin, Cinesiam, Timotheum præsertim et Philoxenum, quos multi præterea, quanquam obscuriores, secuti sunt [6].

Quod si quis diligentius exquirere velit qualis fuerit Ionis in dithyrambo virtus, nullius, ut ita dicam, ad rem investigandam, opis esse poterunt ipsa fragmenta, quæ admodum pauca nobis tradita sunt. Sed multa alia nobis documento sunt poetam Chium iisdem in hoc operum genere vitiis laboravisse, quæ omnibus fere recentioris, qui dicitur, dithyrambi auctoribus videntur inhæsisse.

Ut primum de musica loquar, quæ in dithyrambis plurimum valebat, nemini dubium esse potest quin Ion iis artibus usus sit quarum novitas tum plebis animos detinebat. Ceterum fateamur necesse est eum in ea re parum atticum se præbuisse. Athenienses enim, quam in audiendis aliis non injucundam esse judicabant, mutandarum musicæ legum scientiam, non exercebant ipsi : at pie et religiose integras atque immutabiles diutissime retinuere non modo antiquorum cantuum modulationes, sed citharas ipsas et tibias [7]. Jamdudum

1. Gevaert, *Histoire et Théorie de la musique de l'Antiquité*, II, p. 441 sqq.
2. Medio fere quinto sæculo. Vide Gevaert, *op. laud.*, p. 476 sqq. Cf. Aristotelem, *Probl.*, XIX.
3. Plato, *Leges*, III, 15.
4. Aristoteles, *Probl.*, XIX.
5. Gevaert, *op. laud.*, II, p. 485 sqq. Apud Pherecratem (*Comic. græcor. fragm.*. Didot, p. 110) vide Musicæ querelas in eos qui eam corruperunt.
6. De immutationibus quæ dithyrambico generi accesserunt, vide Bergk, *Griech. Literat.*, II, p. 528 sqq.
7. Gevaert, *op. laud.*, II, p, 252.

contra in Asia Minore fidibus ita voces et chordæ creverant, ut sonorum numero tibiis jam æmularentur; tibiæ autem, progressu temporis ampliores factæ, neque simplices jam ut antea et flatu tenui, tot foraminibus erant terebratæ, ut incitatiores quosvis animi motus, sive acutis, sive gravibus sonis opus esset, possent effingere. Quamobrem advenis auctoribus adscribendæ sunt omnes fere quæ lyricis modis tum accesserunt mutationes. In dithyrambo præsertim, cujus suprema lex esse videbatur ut priorum vestigia desereret neque quidquam inausum relinqueret, non mirum est si, inter tot scriptores qui ea ætate Dionysiacis carminibus innotuere, vix unus et alter numeratur Athenis oriundus poeta, licet apud plebem non in minore gratia dithyrambus fuerit, quam ipsa tragœdia [1].

Ion, in dithyramborum suorum modis, nativi soli patriæque gentis ingenium haud dubie secutus est [2] : fuit et ille ex iis quos posset Musica arguere quod Atheniensium judicium corrupissent. Adde quod, ut uberius infra exponetur, Ion non nihil operæ Pythagoreorum doctrinæ dederat, cujus magnam partem ἁρμονικῆς studio quærendisque sonorum rationibus constitisse notum est [3] : ex quo potest probabiliter colligi eum, quod commune cum plerisque ejusdem gentis viris ad musicam artem pronum ingenium accepisset, gravioribus etiam studiis exercuisse et citharistam peritissimum evasisse.

Num quid novi ipse musicis numeris modisque adjecerit, incertum est. At profecto quæ alii adjecerant comprobavit

1. Cum apud Pherecratem Musica de infortuniis suis queritur et poetarum qui ei vim intulerunt, audaciam arguit, Cinesiæ quodammodo augeri scelus videtur, quod ille non peregrinus, ut Melanippides, Phrynis, Timotheus, sed atticus est.

Κινησίας γὰρ ὁ λακατάρατος, Ἀττικὸς,....
ἀπολώλεκέ μ' οὕτως, κ.τ.λ.

2. Quidam Chio oriundi memorantur inter musicos dithyramborum auctores qui tum Athenis versabantur, ut Democritus Chius (Vide Bergk, *Griech. Liter.*, II, p. 537) quem Ion adolescens Athenis fortasse audivit, imo magistrum habuit, et Licymnius Chius (Bergk, *Griech*, *Literat.*, II, p. 543.)

3. Pythagoræ tribuebatur octo chordis intentæ lyræ inventio. (Gevaert, *op. laud.*, II, p. 251).

et in operibus suis adhibuit. Ita se rem habuisse comperimus ex elegiacorum carminum fragmento, quibus novam quamdam lyram, undecim chordis instructam, celebraverat, cum citharæ, quæ prius usitatæ erant, septem tantum aut novem sonos redderent :

> ... Undecim chordis intenta lyra, decem intervalla ordine disposita
> Consonantibus harmoniis triplicem viam. [habens,
> Antea quidem te septichordam pulsabant (bis) quatuor sonos
> Græci (nimis) jejuno cantu gaudentes [1]. [reddentem

Ea erat hujus inventi virtus ut, duobus *hemitoniis* ἐννεαχόρδῳ lyræ additis, molliore sonorum serie artifices uti possent et fere omnes humanæ vocis gradus imitari (quod *chromaticum* genus dicitur). In hoc Ionis loco, fateor, de fidibus agitur. Quis vero neget eum eamdem in tibiis, quod proprium dithyramborum organum erat, luxuriam comprobavisse, quam in fidibus celebrabat? Quamobrem non multum a vero aberrare mihi videatur, si quis ex his ipsis de ἑνδεκαχόρδῳ lyra versibus conjiciat poetæ nostri dithyrambos molli quadam indole fractisque inflexionibus præsertim insignes fuisse, et languidorum magis quam virilium animorum affectibus accommodatos, qui auditorum aures potius permulcerent aut, ut ita dicam, titillarent [2], quam pectora commoverent.

De Ionis dityramborum metris nihil fere deprehendi potest. Cum tamen jamdiu in dithyrambis poetæ, sententiarum

1. Ionis fragm. 3, apud Bergk, *Lyr. græc.;* vide præsertim Gevaert, *Histoire et Théorie de la musiqae de l'Antiquité,* II, p. 260 sqq. Si Bergkio credimus *(Lyr. græc.*, Ionis fragm. 3, in nota), his versibus Ion « Timotheum respicit, cujus lyra, undecim chordis instructa, tribus constabat tetrachordis, ita ut essent decem intervalla. » At doctissimus vir Gevaert, cujus in hujusmodi quæstionibus summa est auctoritas, contendit a Timotheo non *undecim*, sed *duodecim* chordis lyram instructam esse, anno circiter 420 : lyram autem ἑνδεκάχορδον jam vigesimo ante Peloponnensiacum bellum anno exstitisse. Quo fit ut elegiacum illud carmen Ion anno fere 450 composuerit. — Sensum quem Gevaert prætulit in vertendis poetæ versibus reddere conati sumus.

2. Timotheo Pherecrates objicit ἐκτραπέλους μυρμηκίας, *insolitas formicationes*, ut quidem intelligunt; minutissimos et levissimos, ut quidam alii, sonos, quasi incedentium formicarum fremitum et stridorem. (Pherecrates, loco laudato).

minus quam sonorum studiosi, strophis antistrophas opponere desiissent, ne, intra eadem spatia semper volventibus carminis partibus, cantuum cursus, imo impetus et vis incitata tardaretur, persuasum habere possumus Ionem etiam eamdem rhythmorum rationem usurpasse, justumque stropharum et antistropharum ordinem neglexisse.

Quod ad Ionis in dithyrambis stylum pertinet, uberiora paulo, non tam e fragmentis quidem, quæ perquam brevia sunt, quam e quibusdam Aristophanis locis colligi possunt, præsertim ex his e *Pace* petitis versibus, in quibus servus quidam et Trygæus, e cœlestibus spatiis redux, colloquuntur [1] :

Servus : Vidistine alium quem virum, per aera
errantem, præter te ipsum?
Trygæus : Nullum, nisi forte
animas duo aut tres dithyrambicorum poetarum.
Serv. : Quid agebant illæ?
Try. : Colligebant volitantes procemia illa
ad-viros-aerem-tranantes-pertinentia [2].
Serv. : Nonne erant etiam in aere illæ
in quas verti dicuntur, qui moriuntur, stellæ?
Try. : Erant quidem.
Serv. : Quæ vero nunc illic stella est?
Try. : Ion Chius, qui olim composuit
Athenis illud *mane orientem* (verbis incipiens carmen). Ubi
vero advenit, statim
mane-orientem omnes eum vocaverunt *stellam* [3].

Ex his primum intelligimus Ionem in carminibus multa composita verba coacervavisse et epithetis tumidioribus orationem suam exoneravisse [4]. Adde quod non respuebat ὀξυμώρων

1. Aristoph., *Pax*, v. 828 sqq.
2. ἀναβολὰς... τὰς ἐνδιαεριανερινηχέτους τινάς.
3. Ἀοῖον αὐτὸν πάντες ἐκάλουν ἀστέρα.
4. Hoc fuisse Ionis dithyramborum vitium significat Suidas : ..οὗτος ἔγραψε περὶ μετεώρων καὶ συνθέτους λόγους (lege λέξεις), ὃν παίζων Ἀριστοφάνης ὁ κωμικὸς ἀοῖόν φησιν (s. v. Ἴων). — περὶ τῶν μετεώρων καὶ τῶν νεφελῶν λέγουσι (οἱ διθυραμβοδιδάσκαλοι) πολλὰ, καὶ συνθέτους δὲ λέξεις ἐποίουν καὶ ἔλεγον ἐνδιαεριανερινηχέτους · οἷος ἦν Ἴων ὁ Χῖος ποιητής (s. v. διθυραμβοδιδάσκαλοι).

vim et quæsitam subtilitatem. Exemplo sint versus in quibus Bacchi, sive vini, virtutem celebraverat :

> ... Indomitum (cano) [ministrum
> puerum tauri-facie-insignem, *juvenem non juvenem*, gratissimum
> graviter-tumultuantium Amorum, vinum animos-efferens,
> hominum regem [1].

At præterea Aristophanis laudato loco et quibusdam Suidæ verbis [2], monemur poetam imagines suas sæpius e nubibus et alitibus sumpsisse : qua in re peccavisse persuasum habeo totum illud Ἀώιον carmen, cui comicus alludit lepide, cujusque procemium ad nos pervenit :

> Mane-orientem, per-aera-vagam
> stellam exspectamus, quæ soli ala-candida præcurrit [3].

Quæ paucissimis hic verbis indicat, fusius Aristophanes in alio loco explanavit, in quo Cinesiam perstringit dithyramborum auctorem celeberrimum : qui poeta, sive Ionem auctorem sequebatur, sive ipse per se nugas istas inveniebat, iisdem plane imaginibus uti consueverat ; ita ut jure omnino idem ab utroque similitudinum genus adhibitum esse possimus arbitrari, et ex Cinesia qualis fuerit Ionis ipsius oratio judicare. Ad Nephelococcygiæ portas advenientem Cinesiam inducit comicus [4] :

Cinesias : In altum evolo, ad Olympum, alis levibus.
volito autem tum hac, tum illa carminum via
Pisthetærus : Ad hoc negotium multarum alarum onere opus est.
Cinesias : interrita oculorum acie progeniem (avium) sequens.
. . . .
avis fieri cupio arguta voce luscinia.
Pisth. : Desine modulari. Dic mihi quid velint ista verba.
Cines. : Alis a te instructus, cupio sublimis
in altum evolans, ex nubibus nova petere

1. Ionis fragm. 9, apud Bergk, *Lyr. græci.*
2. Vide notam 4 superioris paginæ.
3. Schol. ad Aristoph. *Pacem*, v. 835. — Bergk, *Lyr. græc.*, Ionis fragm. 10. Vide notam 4 superioris paginæ.
4. Aristophanis *Aves*, v. 1373 sqq., édit. Kock.

in-aere-librata et nivibus-obruta prooemia.
Pisth. : Possitne igitur e nubibus quis prooemia petere?
Cines. : Nam inde pendet ars nostra.
In dithyrambis enim splendidissima sunt
aeria et tenebricosa quidem, et cæruleo splendore nigra
et alis-librata. Tu vero mox audies et intelliges.
Pisth. : Non ego quidem.
Cines. : Mehercule tu quidem (audies).
Omnem enim tibi percurram aerem
(et) simulacra alituum
avium longo-collo-insignium
aerem-lustrantium.
Pisth. : Jam taceas.
Cines. : Utinam ad mare cursu insiliens
cum ventorum flatibus eam!
. . . .
nunc marinam ad viam accedens,
nunc vero ad Boream corpus appropinquans,
importuosum aeris fretum secans.

Quæ quanquam deridendi poetæ causa omnia ab Aristophane composita esse liquet et in pejus amplificata, cum tamen colorem habent, qui profecto Cinesiæ, Ionis et fere omnium dithyrambicorum poetarum carminibus inerat [1].

At non solum a stellarum et nubium spectaculo, aut avium volatu æthera cum ventis lustrantium, Chius poeta imagines suas mutuabatur. Hauriebat etiam ex reconditioribus altioris doctrinæ fontibus; cumque Pythagoreorum discipulus exstitisset, eorum sententias, ut ex *Pacis* supra allato loco manifestum est, in carmina sua, quamvis humiliori plebis ingenio parum accommodatas, ad augendam rerum sublimitatem transferebat : inepte quidem, si Aristophani credimus. Sic, haud dubie, quæ de animorum in cælestia corpora migrantium narrabant Pythagorei [2], in suis versibus ambitiosis verbis exponebat.

Quæ autem ex cyclicis poematibus argumenta tractanda susceperit Ion, neque quidquam de ea re traditum est, neque

1. Bergk, *Griech. Literat.*, II, p. 536, n. 38.
2. Zeller, *Philosophie des Grecs*, I, p. 406, in gallica translatione.

fragmenta docent. Quædam tamen in Dionysi honorem, pro solemni dithyrambicorum poetarum more, scripta esse testatur unum e fragmentis quæ supra laudavimus. Neque neglexerat Ion antiquas de heroibus fabulas, in quibus οὐδὲν πρὸς Διόνυσον fuisse videtur, et quas arbitrio suo immutare non dubitabat. Sic Antigonæ et Ismenæ infortunia attigerat, et Thesei casus aut aliorum Chii non ignobilium heroum [1]. Utrum vero in his personis totius operis summa, an quædam tantum partes, tanquam raptim et per occasionem, versarentur, nullo modo discerni potest.

Præter dithyrambos, alia quædam lyrica opera Ionem composuisse constat, pæanas scilicet, hymnos, laudationes (ἐγκώμια) et epulis destinata carmina (σκολιά [2]). Cum ea poematum genera, post Pindarum, Simonidem et Bacchylidem obsolescere jam cœpissent, non indignum est animadvertere poetam nostrum, qui in dithyrambis æquales sequebatur auctores vel nonnunquam fortasse anteibat, in ceteris lyræ accommodatis operibus antiquitatis memorem et tenacem fuisse. Vix autem e tot scriptis unus et alter titulus ad nos pervenit. Laudantur nempe hymnus quidam in Opportunum deum (Καιροῦ ὕμνος [3]), et ἐγκώμιον εἰς Σκυθιάδην, ignotum aliunde virum [4].

1. Vide supra, p. 56.
2. Schol. ad Aristoph. *Pacem*, v. 830 sqq.
3. Pausanias, V, 14, 9.
4. Miller, *Mélanges de Littérature grecque*, p. 361, n. 1.

CAPUT VI

De Ionis operibus prosa oratione conscriptis

Ion non contentus fuit poetica genera, quæ tum florebant, omnia delibare ; at, ne quid inexpertum relinqueret, ad ea etiam se convertit quæ pedestri sermone conscribi solent : inter quæ, si opera negligimus quæ jam ab antiquis subdititia et spuria habebantur [1], ad historiam et philosophiam videtur in primis noster operam suam contulisse [2].

1. Inter quæ reponendus est πρεσβευτικὸς (λόγος scilicet), « ὃν νόθον ἀξιοῦσι εἶναί τινες καὶ οὐχὶ αὐτοῦ ». (Sch. ad Aristoph., *Pacem*, v. 835). — Qui ab eodem scholiasta κοσμολογικὸς laudatur liber, idem, ut pro certo haberi potest, hic est, qui ab Harpocratione τριαγμός nominatur : ...ἔγραψε δὲ μέλη πολλὰ καὶ τραγῳδίας καὶ φιλόσοφόν τι σύγγραμμα τὸν τριαγμὸν ἐπιγραφόμενον, ὅπερ Καλλίμαχος ἀντιλέγεσθαί φησιν ὡς Ἐπιγένους. (Harpocr. s. v. Ἴων.) De *uno* tantum, ut vides, philosophico libello loquitur Harpocration. De Callimachi opinione, vide infra, p. 83, n. 1. — Quod autem Koepkius *(de Ionis vita et fragm.*, p. 12) dicit, falso a Suida laudari Ionis libellum περὶ μετεώρων, nullo modo probari potest. Non Suidas in errorem incidit, sed Koepkius, qui Suidæ verba male est interpretatus. Ea Suidæ verba sunt (s. v. Ἴων) : ...οὗτος ἔγραψε περὶ μετεώρων καὶ συνθέτους λόγους, ὃν παίζων Ἀριστοφάνης ὁ κωμικὸς ἀοῖόν φησιν. Quis non videt aut in his verbis latere librarii lapsum qui λὸγους pro λέξεις scripserit, aut λόγους eodem sensu accipiendum esse, quo λέξεις, ita ut συνθέτους λόγους significet *composita verba*, non *scriptos libros*. Ita se rem habere luce clarius ostendit alter e Suida petitus locus (s. v. διθυραμβοδιδάσκαλος) : Περὶ τῶν μετεώρων καὶ τῶν νεφελῶν λέγουσι (οἱ διθυραμβοδιδάσκαλοι) πολλά, καὶ συνθέτους δὲ λέξεις ἐποίουν καὶ ἔλεγον ἐνδιαεριανερινηχέτους. Οἷος ἦν Ἴων ὁ Χῖος ποιητής. Bentleium vide, *Epistol. ad Millium*, p. 508 *Opuscul. philologicorum.*

2. De aliis quibusdam (ἄλλα τινά) quæ memorare voluisse videtur scholiasta καταλογάδην scriptis operibus, nihil ad nos pervenit : Φαίνεται δὲ αὐτοῦ καὶ κτίσις καὶ κοσμολογικὸς καὶ ὑπομνήματα καὶ ἄλλα τινά. (Sch. ad *Pacem*, v. 835). Cavendum est ne nimium ponderis, ut opinor, his ultimis scholiastæ verbis tribuamus.

§ 1. — *De historicis Ionis libris.*

Duo Ionis ferebantur historici libri : Χίου κτίσις et Ἐπιδημίαι : Tum, ni fallor, Κτίσις [1] a nostro composita est cum, recens adhuc ab adolescentiæ studiis, menti altius impressa mirifica tot epicorum carminum commenta habebat et in juvenili memoria vigebant de antiquis patriæ temporibus fabulæ quas puer quondam Chii narratas audiverat. Κτίσιν componenti non necesse fuit Ioni, ut ita dicam, poetam se esse oblivisci. Mutato enim tantum dicendi genere, quod liberiore, nec jam pedibus et metris adstricto, cursu fluebat, operis ipsa materies non erat mutanda. Quamvis enim, Ionis ætate, jam rerum scriptores diligentes in disquirendis antiquissimis gentium monumentis esse conarentur, non omnino tamen evanuerat ex animis vetus credulitas et vix ad præsentium et graviorum rerum contemplationem animi se convertebant [2]. Neque in dubium vocari potest quin ille *de Chii originibus* liber ejusdem generis fabellas continuerit, quibus solebant omnes λογογράφοι, qui dicuntur, lectorum animos allicere : deorum scilicet cum mortalibus, primis gentis auctoribus, commercia, portentaque varia, inter quæ mixta certarum rerum nonnulla vestigia vix apparebant [3]. Exempli gratia, liceat huc afferre locum quemdam ex Pausania arcessitum [4] :

« Ion, tragœdiarum auctor, in historia sua (ἐν τῇ συγγραφῇ) narrat Neptunum in insulam Chium, tum desertam, advenisse, commerciumque

1. Non sub eodem titulo ab auctoribus laudatur hoc Ionis opus. Simpliciter κτίσις ab Aristophanis scholiasta appellatur (*Pax*, v. 835) ; a Pausania συγγραφή (VII, 4, 8) ; ἐν τῷ περὶ Χίου scribit Athenæus (X, 426, e) ; ἐν Χίου κτίσει, Etymologicum magnum, s. v. λόγχας.

2. Inter veteres rerum scriptores, ii qui vel gravissimi habentur, Hecatæus scilicet Milesius, Charon Lampsacenus, Hellanicus Mitylenensis, multam veterum fabularum farraginem collegerant et in suis operibus retulerant. Inter κτίσεις quæ Hellanici ferebantur, quædam erat Χίου κτίσις.

3. Vide quæ de veteribus historiarum auctoribus scribit Dionysius Halicarnassensis, *Thucyd.*, c. VI : — Cf. *id.*, *ibid.*, V.

4. Pausanias, VII, 4, 8.

ibi cum nympha quadam habuisse; nivem autem (χιόνα) parturiente nympha e cœlo in terram cecidisse, atque inde Neptunum filio suo nomen indidisse Chium (Χῖον) [1]; eumdem deum rursus cum altera nympha concubuisse et natos esse illi pueros Agelum et Melanem. — Postea vero Œnopionem Chium appulisse e Creta venientem, comitantibus filiis Talo, Evanthe, Melane, Salago et Athamante (Staphylo et Thoante?) — Advenerunt etiam in insulam Cares, Œnopione regnante, et Abantes ex Eubœa. Postea vero Œnopioni et ejus filiis in regnum successit Amphiclus. Advenerat autem Amphiclus Histiæa, ex urbe Eubœæ, oraculum Delphici (Apollinis) secutus. — Hector autem, quarta post Amphiclum ætate (regnum enim et Hector obtinuit), bellum gessit adversus Abantes et Cares qui insulam incolebant : quorum alteros in acie occidit; alteros pactis induciis abire coegit. Compositis vero Chiorum rebus, tum Hectori in memoriam rediit a suis et ab Ionibus oportere commune fieri sacrum in universo Ionum conventu; Hectori autem tripodem virtutis præmium a conventu dono datum esse. Hæc de Chiis Ionem dixisse reperi; attamen non retulit qua de causa cum Ionibus Chii censerentur. »

Non genuina quidem hic habemus Ionis verba et in hoc loco manifestum est Pausaniam nihil nisi summa capita ex Ionis libro enotavisse [2]. Quæ hic strictim memorantur, pleraque noster pluribus verbis explicuerat : quod Plutarchi testimonio etiam confirmatur. Cum Œnopioni Ion patrem Theseum Atheniensem fuisse alibi scripsisset [3], pro certo habere possumus eum in Κτίσει exposuisse quomodo in Creta Theseus hunc filium ex Ariadna genuisset. De Œnopione ipso multa dixisse eum confido, neque omisisse quæ de heroe ferebantur colendarum vitium artis inventore, qua laude maxime gloriabatur auctoris patria. Ad ea haud dubie accedebant quæ de Orione, Œnopionis perfido hospite, tradebantur [4].

1. Cf. Hecatæi fragm. 99 : Χῖος ἀπὸ Χίου τῆς Ὠκεανοῦ, ἢ ἀπὸ τῆς χιόνος τῆς ἐκεῖ γιγνομένης πολλῆς, ἢ ἀπὸ νύμφης τῆς Χιόνος.

2. Quam rem jam animadverterat C. Mueller, *Fragm. Historic. græc.*, Didot, II, p. 50.

3. Plutarchus. *Theseus*, c. xx : Ἔνιοι δὲ καὶ τεκεῖν ἐκ Θησέως Ἀριάδνην Οἰνοπίωνα καὶ Στάφυλον, ὧν καὶ ὁ Χῖος Ἴων ἐστὶ, περὶ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος λέγων · τήν ποτε Θησεΐδης ἔκτισεν Οἰνοπίων.

4. Apollodorus, *Biblioth.*, I, 4, 3. Vide quid de Œnopione dicat Decharme, *Mythologie de la Grèce*, p. 422, sqq., in prima editione. Iisdem fabulis immoratum esse facile crediderim Xenomedem Chium, qui Ionis ætate vixit, Ioni, ut verisimile est, non ignotus. (Cf. Dionys. Halicarn., *Thucyd.*, c. v, et C. Mulle-

Ceterum, utcumque se ea res habet, quamvis a Pausania Ionis locus amputatus sit et ad jejunam siccitatem brevitatemque redactus, haud mehercule negligendus est. Vera enim quædam falsis immixta esse in eo videntur, quæ si quis attente perpenderit, non pauca inveniet ad veram Chii incolarum originem dispiciendam utilia, et ad universam Græcarum coloniarum historiam pertinentia. Hinc enim quadamtenus discere possumus qua ratione aliæ aliis superpositæ sint, in Asiæ minoris civitatibus aut insulis, variarum gentium, nova secum instituta, mores, artes, deorum cultum afferentium, migrationes ; hinc docemur quæ fuerit tum, in eligendo coloniarum et novarum urbium situ, Delphicorum sacerdotum auctoritas. Imo vero, cum, mutata Œnopionis, qui Bacchi filius vulgo ferebatur, origine conatus sit Ion inter Athenas et Chium consanguinitatis vincula invenire aut fingere, quis neget hic deprehendi quo studio Ionicæ gentes, post Medica bella, fortunam suam Atheniensium fortunæ connectere tentaverint, sive recuperatæ libertatis memores, sive victoris populi gloriam, splendorem, opes, potentiam, artes demirati? Denique, quod quidem non minoris momenti mihi videtur esse, cum ex veteribus rerum scriptorum monumentis adeo paucis tempus perpecerit, quis non gaudeat ad nos pervenisse aliquid ita luculentum, ut nullo forsitan ex alio documento melius possimus judicare quales reipsa κτίσεις illæ vetustiorum auctorum fuerint, qua ratione, ante Herodotum et Thucydidem, poeticis imaginibus veras res Græcorum ingenium consueverit adornare?

Longe alius generis fuit alterum Ionis historicum opus, quod plerumque Ἐπιδημίαι inscribitur [1]. In eo enim non jam

rum, *Frag. Historic. græc.*, Didot, II, p. 43). De singulis minimisque rebus Ionem in suo libro egisse ex alio fragmento constat, in quo memoratur quam vini aqua temperandi rationem Palamedes græcis præscripsisset, ut felicem in patriam reditum haberent.

1. Athenæus, XIII, 603, e. : Ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις Ἐπιδημίαις ; III, 93, a, et III, 107, a : Ἐν ταῖς Ἐπιδημίαις. In Ionis operum recensione non memorat illas Ἐπιδημίας Aristophanis interpres (*Pax*, v. 835), sed utitur verbo ὑπομνήματα, cujus et Plutarchus videtur meminisse (*Cimon*, XVI) : ὁ δ' Ἴων ἀπομνημονεύει.) — Ὑπομνήματα haud dubie idem sunt quod Ἐπιδημίαι. Quod nomen (Ἐπιδημίαι)

de fictis rebus agebatur, non de reconditis vetustissimarum ætatum miraculis; sed quæ auctor ipse in peregrinationibus suis viderat, ea recensebantur; depingebantur viri quibuscum vixerat, narrabantur res quibus gerendis interfuerat et quas ab æqualibus suis gestas viderat aut audiverat, ita ut jure ὑπομνήματα, quo nomine liber nonnunquam inscriptus est [1], Ἐπιδημίαι illæ dici possent.

Inanem, credo equidem, operam consumat, si quis adstricte velit definire quo tempore hoc Ionis opus conditum sit. Pleraque enim ab auctore variis temporibus, prout rebus ipsis plus minus moveretur, scripta esse admodum veri simile est. Cum tamen serium magis quiddam haberent Ἐπιδημίαι quam illa poeticum in morem tractata Χίου κτίσις, quamdam ævi maturitatem requirebant; neque invitus adsentiar, si quis opinetur Ionem non componendas ad eas prius accessisse, quam in Κτίσει pedestris orationis tirocinium fecisset. Inter fragmenta, fateor, nonnulli loci inveniuntur, ad ea pertinentes quæ in prima adolescentia Ion viderat [2]. Sed quid ad rem? Ne ea quidem, mea sententia, prius memoriæ mandanda curavit, quam posset, annis paulo gravior factus, intelligere memoria non indigna esse. Ceterum, qui potuisset Ion

Ionem ipsum libro suo inscripsisse vix dubium esse potest. Voce autem ὑπομνήματα serius tantum ad designandum opus usi sunt critici viri. Plane assentimur Koepkio, cujus de ea re verba hæc sunt : « ...Eumdem librum quem Io Ἐπιδημίαι inscripsisset serioribus temporibus, cum ejusdem generis et argumenti scripta in bibliothecis universo ὑπομνημάτων titulo comprehenderentur et insignirentur, a Scholiasta falsa commentariorum inscriptione significata esse quin credamus nihil obstat. » (*De Hypomnematis græcis*, II, p. 4. — Cf. Bernhardy, *Griech. Litter. Gesch.*, II, 2, p. 49.) — Quod autem ad vocis Ἐπιδημίαι significationem spectat, multa olim et varia disputaverunt docti viri, cum alteri contenderent hoc verbo designari illustrium virorum, in insula Chio, ubi eos Ion cognovisset, commorationes, neque usquam hanc vocem ad significandas *peregrinationes* usurpatam esse; alteri vero arbitrarentur hac voce Ionis ipsius itinera et peregri commorationes significari. Rem plane enucleavit et nodum expedivit V. Rose, allato quodam Joanis Alexandrini loco de Hippocratis Ἐπιδημίαις, in quo memoratur Ionis libri titulus Ἐπιδημίαι, ad confirmandum sensum vocis ἐπιδημῶν, id est *per orbem ambulans*. Vide *Hermes* V, p. 205 sqq.

1. Schol. Aristoph. ad *Pacem*, v. 835.

2. Ea, ut exemplo utar, quæ de suo Athenas primo adventu narravit, teste Plutarcho, *Cimon*, IX.

ὑπομνήματα scribere, ni plurima habuisset, quæ meminisset? Qui vero meminisset, ni prius multorum hominum mores et urbes invisisset? Non hic adolescentium mos est, gesta scripturis exarare, sed ætate proclivi jam mœrentium et de posteris jam cogitantium. At, ne diutius incertis immoremur, quædam sunt in Ἐπιδημίαις quæ non nisi post Samiorum bellum narrari potuerunt, id est post 439 ante Ch. n. [1]. Multa possunt Chii ab Ione scripta esse, sive cum interdum patriam suam revisit, sive per eos annos qui Thucydidis, Melesiæ filii, exsilium secuti sunt. Solatium hoc sibi invenit, opinor, tot amissarum, quibus apud Athenienses frui solitus erat, elegantiarum, interruptæ tot egregiorum virorum consuetudinis, ereptæ, quam studiis suis debitam esse rebatur, laudis et gloriæ.

Cave autem ne auctorem nostrum, sive cum Herodoto, sive cum Thucydide conferas, historiæ luminibus, neve nimis aspere de ejus libro judices [2]. Ion enim non sibi proposuit ut æternas rerum humanarum vices depingeret, aut certo ordine civitatum casus et secreta illustrium virorum consilia detegeret. Multo minora et viribus suis magis æqua, ut ex fragmentis perspicuum est, noster tentaverat. Singulas eas et minimi momenti res, quas graviorum historiarum scriptores negligunt et ipso rerum cursu rapti e sublimi loco vix adspiciunt, attente Ion persequebatur et scriptis suis mandabat diligenter. Cum publicos virorum illustrium mores Herodotus et Thucydides ostenderent, privatam hominum indolem ille libentius memorabat, et humaniorem imaginem historiolis suis de quotidiana vita sumptis describebat. Sic apud eum Cimonem, ut exemplo utar, non jam classibus præfectum et Atheniensium potestatis terminos victoriis suis propagantem habemus, sed videmus et audimus inter amicos lætum convivam agentem et comitum risus excutientem, quibus lapide

1. Historiola de amatoria Sophoclis indole (Athenæus, XIII, p. 603, e) et Periclis dictum de Samiorum bello a se confecto. (Plutarch., *Pericles*, XXVIII.)

2. Quod fecisse mihi videntur Roscher (*Leben, Werk und Zeitalter des Thukydides*, p. 291 sqq.) et Koepke (*de Hypomnematis Græcis*, II, p. 8).

narrat qua liberalitatis ficta specie sociorum avaritiam deludificaverit :

« Ion se, cum adolescens admodum Chio Athenas venisset, cœnavisse apud Laomedontem cum Cimone ait : jussumque hunc, peractis libationibus, canere, cecinisse non ineleganter, et ab iis qui aderant laudatum esse ut Themistocle exercitatiorem, qui se canere aut fides pulsare non didicisse profiteretur, sed urbis magnitudinem atque opes amplificandi artem callere. Exinde, ut inter pocula fieri solet, cum sermo ad res a Cimone gestas defluxisset et memorata essent ejus clarissima facinora, Cimonem ipsum unum quoddam strategematum suorum enarrasse, quod prudentissimum esse judicaret : socios scilicet, cum expugnatis Sesto et Byzantio, multos barbaros cepissent, sibi prædæ partitionem commisisse ; tum se ab una parte captivis, ab altera vestibus et omni corporum cultu posito, cum argueretur inique partitionem fecisse, potestatem sociis dedisse utram sibi vellent partem eligendi, altera Athenienses contentos futuros. Suadente Herophyto Samio ut Persarum bona potius acciperent quam corpora, illi ornamenta accepere, Atheniensibus captivos reliquerunt. Abscedens autem ipse deridebatur, quod inepte prædam partitus esset : nempe sociis armillas aureas et torques et candias et tunicas purpureas auferentibus, Athenienses nuda corpora eaque male ad laborem instituta acceperant. Paulo post vero captivorum amicos et propinquos ex Phrygia et Lydia descendentes, singulos magna pecunia redemisse, ita ut quatuor mensium stipendia in classem inde nactus, ex redemptionum pretio insuper magnam auri copiam in ærarium retulerit [1]. »

Atque utinam superessent adhuc tot et tam varia ab Ione de æqualibus suis tradita! Quot magnorum civium, poetarum, ducum, simulacra vividius nunc et mollius spirarent, quæ in magnificis rerum scriptorum monumentis rigidiora paulo et frigidiora stant, et nebulis involuta. Quantum juvaret a publicarum rerum curis solutos convenire et audire, ut Ion ipse audiverat, cum familiaribus suis, detracta persona, confabulantes. Alterum Plutarchum haberemus, sed eorum, quos in scenam inducebat, æqualem, et rerum quas narrabat, participem.

Non eodem studio omnes, de quibus scripserat, prosecutum

1. Translatione latina C. Muelleri *(Fragm. Historic. Græc.*, Didot, II, p. 47), mutatis nonnullis locis, usi sumus.

esse Ionem merito conjici potest, cum præsertim Cimonis partes adversus Periclem amplexus esset. Attamen non puto eum ita amicitiis aut odiis fuisse obcæcatum ut, si quid laudandum apud inimicos inveniret, consulto omitteret, aut amicorum virtutes et merita nimio plus augeret. Quæ opinio toto illo de Pericle Plutarchi libro, mea quidem sententia, confirmatur : in quo cum plurima in magnum civem vulgata convicia conflataque odiosa crimina auctor memoret, nullum est quod se ex Ionis operibus hausisse dicat, sed poetas comicos arguit et Stesimbrotum et Hermippum aliosque [1]. Unam rem in ὑπομνήμασι Ion videtur Pericli objecisse, superbiam scilicet [2]. Quis vero dubitat quin hoc judicium non tam Ionis ipsius fuerit, quam fere totius civitatis, quæ, cum Periclis ingentia consilia vix posset capere, externum hominis habitum et mores tantum ante oculos habebat, nec sine quadam reverentia et metu magnum civem suum admirabatur [3]. Imo vero, Plutarchum ipsum non multum absimilia sensisse notandum est. Narrat enim Periclem postquam, superatis tandem Thucydidis partibus, summam Athenis potestatem obtinuisset, non jam eumdem se, et plebi mansuetum ut antea, præbuisse, sed in regendis publicis rebus asperiorem se gessisse [4] : quæ non ut ex aliis auctoribus arcessita Plutarchus profert, sed suo nomine scribere videtur exponens quid ipse sentiat. Ceterum si in æstimando Pericle Ion erravit, cum multis erravisse eum confitendum est. Excepto enim uno Thucydide, quicumque sive illa ætate, sive postea, de Pericle scripserunt, de eo secus judicavere : ita ut, ni superesset Thucydidis opus, vel præstantissimi rerum scriptoris acumen vix hodie posset discernere quantum ingenio Pericles eminuerit, quanta apud cives suos auctoritate valuerit [5].

Ceterum, ut ea quæ sunt Pericli adversa Ion retulit, ita

1. Plutarchus, *Pericles,* XIII, XXIV, XXXIII.
2. Plutarch., *Pericles,* V; cf. *id.*, c. XXVIII.
3. Vide Sauppe, *de Plutarchi fontibus,* in *Abhandlungen der Gesellsch. der Wissensch. zü Göttingen,* 1868, p. 30.
4. Plutarch., *Pericles,* XV.
5. Sauppe, *op. laudat.*, p. 6.

quæ ad augendam ejus gloriam idonea sunt, non semper tacuit, si modo ex Ione depromptus est Plutarchei *Periclis* locus, in quo de sumptibus agitur quos ad ornandam urbem facere Pericli in animo fuit. In hoc loco [1] sibi visus est Sauppius Ionis manum agnoscere; eaque sunt viri docti argumenta, quibus me ad credendum adduci non negaverim [2]. Sive enim rectæ orationis formam intueris, in quam Plutarchus inconsulto et alius cujusdam auctoris verborum memor delabitur, sive poeticum illum colorem spectas, quo suffunduntur Thucydidis, Periclis æmuli, verba, Atheniensium urbem conferentis cum meretrice corpus suum pretiosissimarum gemmarum splendore odornante [3]; sive denique attendis in utraque oratione, Thucydidis scilicet et Periclis, non tam de confectis jam ædificiis agi, quam de conficiendis iis quæ ante Thucydidis exsilium erigere Pericles statuerat postquam ex Delii Apollinis templo Athenas allatus erat sociorum thesaurus, — quod quidem videtur aperte declarare orationes illas certo tempore et de certis rebus reipsa habitas esse, non a rhetore nescio quo fictas esse et inventas; — quæ omnia, inquam, si æquo animo vis perpendere, fatearis necesse est non leviter rejiciendam esse Sauppii opinionem, at Plutarchum e scriptore rerum, quas narrabat, æquali totum locum petiisse. — At enim a Stesimbroto aut alio quovis ejusdem ætatis auctore hæc omnia de Thucydide et Pericle a Plutarcho tradita profecta sunt? Quod ita fieri non potuisse quanquam Sauppius jam ostendit [4], liceat tamen pauca ejus argumentis apponere : nullum scilicet alium scriptorem posse excogitari, cui, propter amicitias suas, ita contigerit rebus ipsis adesse, quales essent plane nosse, et posteris eas posse tradere ut reipsa

1. Plutarch., *Pericles*, XII.
2. Vide Sauppii disputationem, opere laudato, p. 23 sqq.
3. Καὶ δοκεῖ δεινὴν ὕβριν ἡ Ἕλλας ὑβρίζεσθαι καὶ τυραννεῖσθαι περιφανῶς, ὁρῶσα τοῖς εἰσφερομένοις ὑπ' αὐτῆς ἀναγκαίως πρὸς τὸν πόλεμον ἡμᾶς τὴν πόλιν καταχρυσοῦντας καὶ καλλωπίζοντας ὥσπερ ἀλαζόνα γυναῖκα, περιαπτομένην λίθους πολυτελεῖς καὶ ἀγάλματα καὶ ναοὺς χιλιοταλάντους (*Pericles*, XII). Animadverte in voce ἡμᾶς rectæ orationis formam.
4. Sauppius, loco laudato.

actæ sunt. Quid enim? Nonne se Ion partium certaminibus jamdiu immiscuerat? Nonne infensissimo Periclis æmulo familiarissime utebatur? Quam igitur avidis auribus exceperit, quam alte memoriæ impressa servaverit quæcumque tum vel dicta vel acta sunt, nemo non intelligit. Imo vero, non minus, ni fallor, impetum repulsantis eloquentia vehementer commotus est, quam facientis, nec invitus credam illius menti tum aculeos illos adhæsisse, quos dicebatur Pericles in auditorum animis relinquere. E prælio cum suis Ion victus recessit, sed victoris summa cum admiratione, ita ut tabulæ quibus noster credere consueverat quæ memorabilia aut audiverat uat viderat, aliquam Periclis oratoriæ virtutis imaginem etiam retinuerint [1]. Si ita se res habuit, quod puto, Ionis, non alius, libris in hac *Periclis* sui parte, ut sæpe alias, Plutarchum usum esse tantum non pro certo possumus accipere, nobisque in hoc loco non leve testimonium reliquisse quanta æquabilitate poeta Chius vel eorum, quorum indolem minus laudabat, merita non taceret.

Cum de aliis multa traderet, multa de se ipso simul consentaneum est Ionem narravisse : quas adiisset urbes, quid in eis notandum vidisset, publicas ædes, templa, varios hominum mores et victum [2] haud dubie memoraverat [3].

1. Ne quis forte arbitretur Ionem in Ἐπιδημίαις quæ vidisset tantum enarrasse, ipsa autem oratorum, quos audivisset, verba non memorasse, ecce adest Plutarchi *Cimonis* locus, c. XVI : Ὁ δ' Ἴων ἀπομνημονεύει καὶ τὸν λόγον ᾧ μάλιστα τοὺς Ἀθηναίους ἐκίνησε παρακαλῶν μήτε τὴν Ἑλλάδα χωλὴν, μήτε τὴν πόλιν ἑτερόζυγα περιιδεῖν γεγενημένην. Quidni, de Pericle agens, noster idem fecisset, quod fecerat de Cimone? Nec profecto mirum est Ionem, cum primæ, ut ita dicam, Atticæ eloquentiæ auroræ adesset, novæ illius artis splendore captum, voluisse aliquid de disertissimorum civium facundia enotare.

2. In fragmentis 2 et 3 (ap. C. Muellerum, *Fragm. Historic. Græc.*, Didot, II).

3. Periere, perpaucis exceptis, Ἐπιδημιῶν partes quæ ad ipsum pertinebant neque quidquam certi de ejus peregrinationibus possumus scire. Ad eas forsitan referri possit συνεκδημητικός ille, a Polluce laudatus, liber, in quo de quadam ejus legatione, ut quidam conjecerunt, ad nescio quam civitatem agebatur. (Pollux, II, 4, 19 : Παρὰ Ἴωνι τῷ τραγικῷ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Συνεκδημητικῷ σπανοπώγων τις ὀνομάζεται. — Vide Bergk (*Griech. Literat.*, III, p. 606, n. 25) qui suspicatur librum πρεσβευτικός inscriptum non differre ab eo cui συνεκδημητικός titulus erat, et vocem λόγος, quæ subaudienda est, non *orationem* hic, sed *narrationem* significare. Fieri potuit ut ille πρεσβευτικὸς narrationem contineret de Ionis legatione quadam ad Spartanos (?). Sed admodum incerta res

Pleraque Ἐπιδημιῶν fragmenta ad nos ita deformata pervenerunt, ut vix eorum genuinus color adspici queat. Attamen illius libri integer locus in Athenæi opere servatus est [1], pretiosissimus quidem et jucundissimus, ex quo possumus quæ fuerint in scribendo Ionis virtutes judicare : quem totum non piget ad verbum transcribere :

« Ion poeta, in libro qui inscribitur Epidemiæ, hæc scribit : Cum Sophocle poeta Chii congressus sum, cum exercitui præpositus Lesbum navigaret, viro jocoso inter pocula et urbane faceto. Convivio illum excipiebat Hermesilaus, et privatim hospes, et Atheniensium publicus. Ad ignem stabat puer vinum ministrans [rubicunda] facie insignis; quem ille compellans : « Visne, inquit, suaviter me bibere ? » Adnuente puero : « Lente igitur mihi, ait, et admove poculum et aufer. » Tum multo etiam magis erubescente puero, ei qui juxta ipsum accumbebat ait Sophocles : « quam pulchre istud dixit Phrynichus :

Splendet in purpureis genis lumen amoris. »

Ad hoc dictum respondit Eretrieus aut Erythræus ludimagister : « Sapiens tu sane es, Sophocles, in poesi : verumtamen non bene dixit Phrynichus, purpureas esse dicens formoso puero genas : quod si pictor colore purpureo inungat pueri hujus genas, non amplius formosus videatur. Non utique oportet pulchrum cum eo quod pulchrum non est comparare. » Ibi risum non tenens Sophocles, interrogavit Eretrieum : « Ne istud quidem, hospes, tibi placet Simonideum, quod utique bene dictum videtur Græcis ?

Purpureo ab ore emittens vocem virgo;

nec poeta qui auricomum dixit Apollinem ? Nam si aureas pictor comas fecisset deo, non nigras, pejor etiam futura erat pictura. Nec is qui roseis digitis (Eoa) dixit ? Nam si quis roseo colore mulieris tingeret digitos, purpurariæ manus faceret, non formosæ mulieris. » Tum orto risu omnium, Eretrieus quidem castigatione ita repressus est; Sophocles vero ad sermonem cum puero institutum rursus se convertit. Quem ubi vidit festucam e calice minimo digito tollere parantem, interrogavit, an festucam conspiceret ? Cumque ille conspicere se respondis-

est. De ejus in Samiorum insula aut Corinthi commoratione nihil est quod in dubium non vocari possit. De Samo insula agitur in fragmento 9 (C. Mueller, *Fragm. Historic. Græc.*, Didot, II). Corinthi commorationem indicare videtur apud Athenæum (X, 436, f.) fragmentum de Ionis amore in Chrysillam, Corinthiacam mulierem.

1. Athenæus, XIII, 603 e.

set : — « flatu igitur, inquit, eam expelle, ne digitum madefacias. » Ut vero faciem ad calicem admovit puer, propius ille ori suo calicem admovit, quo caput capiti propius esset : quod ubi fuit proximum, manu prehensum osculatus est. Tum plaudentibus omnibus cum risu, clamantibusque quam lepide deceptum puerum ad se perlexisset : « Meditor, inquit ille, ô viri, artem imperatoriam, quoniam Pericles me dixit versus quidem nosse condere, artem ducis bellici non callere. Nonne igitur satis bene mihi cessit hoc strategema ? » Talia multa scite dicebat faciebatque, cum bibebat hilaritatique sese dabat ; verum ad gerendam rempublicam nec solertiæ satis in eo fuit, nec industriæ ; sed erat velut unus e probis commodisque civibus Atheniensibus [1]. »

Quis est qui non ea delectetur historiola suavissimæ humanitatis sale sparsa, cujus etiam jucunditatem auget fluidus ille et poeticus ionicæ linguæ lepos ? Incertus ipse et interdum paulum impeditus sententiarum cursus, non arctissime inter se cohærentibus variis orationis partibus [2], quas auctor uno et eodem circuitu complecti non curat (quæ posterius tantum viguit ars scribendi), negligentiam quamdam habet, non ingratam in tali re. Quas apud veteres historiarum conditores Dionysius Halicarnassensis virtutes signavit [3], apud Ionem hic plerasque mihi videor deprehendere : purum scilicet et dilucidum dicendi genus rebus accommodatum, artificiosa anxietate vacuum, venustate tamen plenum. Præterea non omnino videtur noster eas ignorasse, quibus postea eminuerunt præstantissimi attici scriptores, ἐνάργειαν et ἠθοποιίαν : ipsæ res oculis nostris subjiciuntur, vividis coloribus depictæ ; personarumque mores, insulsi ludimagistri arrogantiam, Sophoclis urbanos aculeos, erubescentis pueri pudorem subtiliter descriptum admiramur. Propter ipsum dicendi genus, ni

1. C. Muelleri latinam translationem (*Fragm. Histor. græc.*, II, p. 48, Didot) secuti sumus, uno et altero verbo vix mutato.

2. Ipsius Ionis verba vide in Appendice.

3. Dionys. Halic., *Thucydides*, V : Λέξιν τε ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὴν αὐτὴν ἅπαντες ἐπετήδευσαν..., τὴν σαφῆ καὶ κοινὴν, καὶ καθαρὰν, καὶ σύντομον, καὶ τοῖς πράγμασι προσφυῆ, καὶ μηδεμίαν σκευωρίαν ἐπιφαίνουσαν τεχνικήν. Ἐπιτρέχει μέντοι τις ὤρα τοῖς ἔργοις αὐτῶν καὶ χάρις, τοῖς μὲν πλείων, τοῖς δ'ἐλάττων, δι' ἣν ἔτι μένουσι αὐτῶν αἱ γραφαί. — Cf. id., ibid., XXIII : Πάντες γὰρ οὗτοι... περὶ τὴν κυρίαν λέξιν μᾶλλον ἐσπούδασαν ἢ περὶ τὴν τροπικήν · ταύτην δὲ ὥσπερ ἥδυσμα παρελάμβανον. Σύνθεσίν τε ὀνομάτων ὁμοίαν ἅπαντες ἐπετήδευσαν, τὴν ἀφελῆ καὶ ἀνεπιτήδευτον, κ. τ. λ.

fallor, non minus quam propter libri argumentum lectoribus diu placuit Ionis opus.

Primus ὑπομνημάτων generis inventor fuisse videtur Ion. Plurima sane potuerunt eum incitare ad eligendum hoc narrandi genus, quod multi postea usurpavere. Vel una illorum temporum mira in omnibus rebus industria causam idoneam affert cur noster solemne iter deserere sibi sumpserit. Non jam contentum erat Græcorum ingenium veteres easdemque litterarum formas in perpetuum iterare. Ut tragœdia, Euripide auctore, heroas antiquos et deos ipsos ad breviorem naturæ humanæ mensuram retrahebat, ita historia, omissis longinquarum ætatum annalibus, ad propiora se convertebat et humaniora. Non tamen nostro eam vim ingenii fuisse crediderim, ut sua sponte viam, nullius vestigiis ante tritam, ingrederetur; neque abnuam si quis de Herodoto hic cogitet. Commoratus est magnus ille vir, ut scimus, Athenis, Ionis ipsa ætate, ante Peloponnensiacum bellum, neque mediocri apud cives fama florebat. Anno fere 446, magnis Panathenaicis, cum operis sui partem recitasset, et populus valde audiendo esset delectatus, decem talentis publice donatus erat. Nec deerant in civitate quibus, ut sæpe conjectum est, ex historiis suis excerptos locos legisset. Eone ex numero fuit Ion? Non absurdam rem esse crediderim, cum noster multorum nobilissimorum civium fuerit familiaris. Panathenaicæ vero recitationi eum adfuisse tanquam pro certo haberi potest. Tum enim in urbe versabatur, nec veri simile est eum a celeberrimis Atheniensium sacrorum solemnibus abstinuisse. Quid igitur mirum, hunc laudis maxime omnium avidum, in eo se voluisse genere exercere, unde videret tantam gloriæ segetem Herodotum collegisse? Sed nostro deerat, ut inceptum perficeret, si minus voluntas, at certe tantis operum monumentis par ingenium : dum totus in ea incubuit quæ ad viros potius quam ad res pertinebant, perpetuam illam rerum connexionem neglexit, quæ præstantissima gravissimarum historiarum materia est.

§ 2. — *De philosophicis Ionis libris.*

Ex Ionis philosophicis scriptis brevissimæ tantum ad nos laciniæ pervenerunt, quæ tamen apertius, quam quævis aliæ ex eodem auctore profectæ, declarant quam avide et diligenter omnia quæ tum in unoquoque studiorum genere ederentur, percurrerit, et diversissimas diversissimorum virorum doctrinas in se recipere conatus sit.

Non se in unius magistri verba jurare Ion addixerat; at cum omnium quæ sive in Asia Minore, sive in allis Græciæ et Italiæ regionibus aut olim floruerant aut tum florebant, philosophicarum rationum gnarus esset, e singulis delibaverat ea quæ ejus indoli et ingenio satis respondebant, atque aggressus erat inde sibi propriam disciplinæ formulam instituere.

E Pythagoreis plurima fontibus videtur hausisse. Neque sane id mirum. Cum enim, ut supra vidimus, non in patria solum inter optimates numeraretur, sed etiam Athenis Cimonis ejusque amicorum partes esset amplexus, consentaneum est eum ad illius scholæ placita inclinasse, quæ a communibus plebis opinionibus, moribus, institutis abhorreret. Ceterum, pervolutis Pythagoreorum scriptis, non ad philosophicas solum, quæ proprie dicuntur, de rerum aut animorum natura indagationes instruebatur; sed quem jam habebat musicæ usum, modorum ratione et doctrina confirmabat: ita ut Pythagoreorum disciplinæ beneficio præstantissimus citharista evaserit, ut ex fragmento jam supra laudato intelligimus [1]. Necnon ipsa ejus poetica opera inde proprium colorem traxerunt, dithyrambica præsertim carmina, ut jam supra vidimus [1]. Itaque, acceptæ doctrinæ memor, admiratione summa Pythagoræ ingenium prosequebatur, quem in elegiis ut inter mortales prudentissimum et sapientissimum laudaverat.

1. Vide supra, p. 64.
2. Vide supra, p. 67.

Philosophicus Ionis liber Τριαγμοί, sive Τριαγμός inscriptus erat [1]. Titulus ipse jam Pythagoreum quiddam redolet, et in mentem revocat τετρακτύν illam, cujus inventor Pythagoras fuisse ferebatur et quam memorabant quicumque se jurejurando ejus scholæ discipulos fore profitebantur [2]. Noster profecto, ad Pythagoreorum exemplar, in rebus aliquam cum numeris et numerorum inter se rationibus similitudinem invenire conabatur [3]. Quas Pythagorici in quaternario numero omnium rerum radices esse autumabant, eas in ternario Ion esse contendebat. Ceterum jam in Pythagoreorum ra-

1. Harpocration, s. v. Ἴων, librum Τριαγμόν inscriptum esse refert. Pluralis autem vocis forma Τριαγμοί adhibetur a Diogene Laertio (VIII, 8), Clemente Alexandrino (Strom., I, 333 a, edit. Sylb.) et Suida (s. v. Ὀρφεύς). — Callimachi ætate, quidam subditicium Ionis opus Τριαγμούς existimabant et Epigeni cuidam adscribebant, ut apparet ex Harpocrationis loco :... φιλόσοφόν τι σύγγραμμα, τὸν Τριαγμὸν ἐπιγραφόμενον, ὅπερ Καλλίμαχος ἀντιλέγεσθαί φησιν ὡς Ἐπιγένους. At vix dubitari potest quin Τριαγμοί ab Ione scripti sint. Non suam Callimachus, sed aliorum quorumdam opinionem proferebat, in loco a Suida laudato, quod jam argumentum est illum non plane sententiæ illi assensum esse. (Vide etiam Bergk, *Griech.*, *Literat.*, III, p. 607, n. 28, qui verba ὡς Ἐπιγένους mutanda arbitratur in ὡς καὶ Ἐπιγένης, quæ jam Bentleii conjectura fuerat). Qua de causa Τριαγμοί Epigenis liber esse crediti sint, feliciter Bentleius exposuit in *Epistola ad Millium (Opuscula philologica*, p. 510). « Ut suspicor, inquit, libri Epigenis cum Ionis scriptis conjuncti ferebantur. Is enim commentarium fecerat in Ionis tragœdias ; quod scias ex Athenæo lib. XI, ch. v, ut nihil miri sit, si librariorum, qui omnia perturbant et miscent, alii tanquam Ionis Τριαγμούς inscripserint, alii ut Epigenis. » Omnem dubitationem aufert Isocratis π ρὶ τῆς ἀντιδόσεως locus, post Bentleium repertus et editus :... τῶν παλαιῶν σοφιστῶν, ὧν οἱ μὲν ἄπειρον τὸ πλῆθος ἔφησαν εἶναι τῶν ὄντων, Ἐμπεδοκλῆς δὲ τέτταρα, καὶ νεῖκος καὶ φιλίαν ἐν αὐτοῖς, Ἴων δ' οὐ πλείω τριῶν... » Cum *Antidosi* plane consentit Aristotelis locus, *de Generat. et Corrupt.*, II : τούτων δὲ τὴν ὑποκειμένην ὕλην οἱ μέν φασιν εἶναι μίαν..., οἱ δὲ πλείω τὸν ἀριθμὸν ἑνός, οἱ μὲν πῦρ καὶ γῆν, οἱ δὲ ταῦτα καὶ ἀέρα τρίτον, quem Philoponus explicans ait : ταῦτα (πῦρ καὶ γῆν) μετὰ τοῦ ἀέρος Ἴων ὁ Χῖος ὁ τραγῳδοποιός... ὑπέθετο. — De κοσμολογικῷ Ioni adscripto, vide supra, p. 69, n. 1.

2. *Carmen aureum*, v. 47 (cf. Zeller, *Philosophie des Grecs*, I, p. 382 sqq. in translatione gallica) :

οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ γενεᾷ παραδόντα τετρακτύν,
πάγαν ἀενάου φύσιος ῥιζώματ' ἔχουσαν.

3. In singulis etiam rebus nonnullis Pythagoreorum auctoritatem secutus esse Ion videtur. Lumen, ut exemplo utar, dicebat habere σῶμα τῇ μὲν ὑαλοειδὲς, διαυγὲς, τῇ δ' ἀφεγγές (Stobæus, *Ecl. Phys.*, I, 552), quæ Pythagoreorum quoque sententia erat. Vide Zeller, opere laudato, I, p. 405. Superest etiam Ionis cujusdam carminis titulus, Καιροῦ ὕμνος (Pausan., V, 14, 7). Apud Pythagoreos quoque Καιρός celebratus videtur esse, cui sedem solis regionem assignabant. Vide Zeller, *Philos. des Grecs*, I, p. 377, cum notis, in translatione gallica.

tione eximiis virtutibus frui dicebatur ternarius numerus; perfectus enim habebatur, quod in infinita imparium numerorum serie primus occurreret, neque in alio ita arcte conjuncta invenirentur principium, medium et finis [1]. Num vero noster in abstrusa et recondita mathematicæ scientiæ arcana ipse penitus descenderit dubitari potest, quod ne omnes quidem tentavere qui se Pythagoreos professi sunt, contenti sæpe externam rerum speciem ad numerorum rationem arbitrio suo reducere [2]. Attamen non credam, ut quibusdam placuit [3], eum se tantum oblectavisse in digerendis rebus, de quibus loquebatur, secundum ternarium ordinem, ita ut ludentis potius quam serias res tractantis speciem opus præstaret. Quod si ita fuisset, non juxta veteres philosophos ab Isocrate laudaretur [4], neque gravissimi auctores, philosophiæ græcæ lumina, Plato et Aristoteles, de ejus opinionibus in operibus suis disputassent [5].

Ceterum ne prima operis fronte decipiamur neve ex Pythagoricis scriptis totam disciplinam suam descripsisse Ionem arbitremur, monent ipsi, quos nominavimus, auctores antiqui. Ut ex Aristotelis loco apparet, inter eos numerabatur qui, ut rerum generationem expedirent, omnia fingebant orta esse ex certis quibusdam elementis quæ sensibus perciperentur. Tria erant, auctore Ione, semina ex quibus per inane magnum coactis hujus mundi orbis concrevisset : *ignis* scilicet, *terra* atque *aer* [6]. Unde manifestum fit Ionem Empedoclis, qui eadem ætate vivebat, doctrinam cum Pythagoricis placitis consociavisse.

Quo autem pacto inter se miscerentur tria illa omnium rerum exordia, nihil de ea re certum satis nobis traditum est,

1. Aristoteles, *de Cœlo*, I, 1. 268, a, 10. Vide Zeller, opere laudato, I. p. 383.
2. Zeller, opere laudato, I, p. 375.
3. Eam apud Schoellium opinionem invenio (*Rheinisches Museum,* 1877, *Ueber Ion von Chius,* sub finem).
4. Isocrates, *de Antidosi*, 268.
5. Aristoteles, *de Generatione et Corruptione,* II, 1, 329 a; Plato, *Sophista,* 242, c; cf. *Leges*, X, 888, E.
6. Vide hujus libelli paginam 85, n. 1.

nisi forte ad Ionem *Sophistæ* locum referas, in quo Plato veteres philosophos parum serio locutos esse ait et gravibus viris fabellas enarravisse, quæ ad oblectandos puerorum animos fictæ esse viderentur; quorum unus, inquit, tria esse τὰ ὄντα dicit, et eorum aliqua nunc inter se pugnare quodammodo, nunc, icto amicitiæ fœdere, nuptias celebrare, procreare pueros et progeniem suam educare [1]. Minime equidem mirer sub Platonis figuratis verbis latere poeticum Ionis scribendi genus, imaginum fortasse et similitudinum magis quam abstrusiorum disputationum curiosi.

Utcumque se res habet, conjici potest non ipsis iis corporeis elementis Ionem propriam facultatem tribuisse, qua sese moverent et ad formandas varias res se ordinarent. Cœperant jam tum philosophi in illustrandis omnium rerum primordiis vires quasdam adhibere, ab omni concretione materiæ sejunctas, ut φιλίαν et νεῖκος Empedocles, νοῦν Anaxagoras; neque mirum sit Ionem in τριαγμοῖς ad ejusdem generis vires confugisse : quarum vestigia mihi videor in libri exordio, ab Harpocratione nobis tradito [2], deprehendere. « Hoc mihi, « scripserat Ion, disputationis principium : omnia tria neque « plus neque minus quam hæc tria ; unius cujusque rei virtu- « tem trias efficit : *intellectus*, *vis et fortuna* ».

Qua vero ratione sibi responderent hinc aer, ignis et terra, illinc intellectus, vis et fortuna, incertum est. Haud scio an tamen tantas tenebras luce aliqua illustrent quæ Diogenes Apolloniates docebat, nempe νόησιν inesse aeri, et ab eo omnia gubernari, omnia ejus imperio teneri [3]. Quanquam enim non

1. Plato, *Sophista*, 242, d : μῦθόν τινα ἕκαστος φαίνεταί μοι διηγεῖσθαι παισὶν ὡς οὖσιν ἡμῖν, ὁ μέν ὡς τρία τὰ ὄντα, πολεμεῖ δὲ ἀλλήλοις ἐνίοτε αὐτῶν ἄττα πῃ, τότε δὲ καὶ φίλα γιγνόμενα γάμους τε καὶ τόκους καὶ τροφὰς τῶν ἐκγόνων παρέχεται · δύο δὲ ἕτερος εἰπών κ. τ. λ.

2. Harpocrat. s. v. Ἴων. Corruptissima Harpocrationis verba ad nos pervenerunt, quæ sic, post Lobeckium et Bentleium restituit C. Muellerus *(Fragm. Historic. Græc*,, II, p. 49) : ἀρχὴ ἥδε μοι τοῦ λόγου · πάντα τρία καὶ οὔτε πλέον οὔτε ἔλασσον τούτων τριῶν. Ἑνὸς ἑκάστου ἀρετὴ τρίας, σύνεσις καὶ κράτος καὶ τύχη.

3. Diogenes Apollon. apud Simplicium, in Aristotelis *Physic.*, 33, a : καί μοι δοκέει τὸ τὴν νόησιν ἔχον εἶναι ὁ ἀὴρ καλεόμενος ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὑπὸ τούτου πάντα καὶ κυβερνᾶσθαι καὶ πάντων κρατέειν, ἀπὸ γάρ μοι τούτου δοκέει νόος εἶναι

omnino idem sunt νόησις atque σύνεσις, significationis tamen quædam his vocibus similitudo inest, ita ut deduci possit aeri, cui νόησιν Diogenes assignabat, σύνεσιν nostrum attribuisse. — Quod vero ad κράτος pertinet, quale Ion hoc esse statueret, utrum de certis legibus et nescio qua voluntate, quibus natura pareret, ageretur, an de insita ipsi materiæ vi quadam, συνέσει contraria et adversa, nusquam invenio. — De fortuna vix paulo plura nobis tradita sunt. Cum tamen Empedocles, cujus vestigiis Ionem sæpe institisse vidimus, τύχην ad creandas res, mundi initio, non nihil valuisse interdum contenderet [1], fieri potuit ut eam eodem modo Ion in ratione sua adhiberet, neque multum a vero aberret, mea quidem sententia, si quis de Ione aliquatenus dicta esse intelligat, quæ in *Legibus* Plato memoravit [2], nonnullos scilicet philosophos docuisse omnium quæ sint, aut fuerint, aut futura sint, aliorum causam naturam esse, aliorum artem, aliorum fortunam.

At non veteres tantum Ionici, non tantum Pythagoras et Anaxagoras Ioni suppeditavere, ut veri simile est, unde disciplinam suam conflaret. Quid de Democrito dicam, cujus placita tum in Græcia vulgari cœpta esse haud immerito suspiceris; quid de Archelao, Anaxagoræ discipulo, quem novisse videtur Ion [3]; quid de Socrate ipso, juniore tum quidem, quem tamen in Ἐπιδημίαις noster memorat cum Archelao Samum insulam invisisse [4]; quid tandem de Gorgia, de tot philosophantihus viris qui tum Athenas ex omnibus non Græ-

καὶ ἐπὶ πᾶν ἀφῖχθαι καὶ πάντα διατιθέναι καὶ ἐν παντὶ ἐνεῖναι — Cf. Anaximenem, ap. Stobæum, *Eclog. phys.*, p. 296 : οἷον ἡ ψυχὴ ἡ ἡμετέρα ἀὴρ οὖσα συγκρατεῖ ἡμᾶς, καὶ ὅλον τὸν κόσμον πνεῦμα καὶ ἀὴρ περιέχει.

1. Aristoteles, *Physic.*, II, 4, 6. — Cf. *de Generat. et Corrupt.*, II, 6.
2. Plato, *Leges*, X, 888, e.
3. In Cimonis domo (Plutarch., *Cimon*, IV).
4. Diogenes Laertius, II, 7 : Ἴων δὲ ὁ Χῖος καὶ νέον ὄντα (τὸν Σωκράτην) εἰς Σάμον σὺν Ἀρχελάῳ ἀποδημῆσαί φησιν. Contra Ionis testimonium disserit Zeller (*Philosophie des Grecs*, III, p. 56, n. 2, in gallica translatione), Platonis *Critonem*, 52 B, prætendens, ubi legitur Socratem Athenis nunquam abfuisse. Putat Nieberding Platonem « jure peregrinationem illam negligere potuisse, præsertim cum non historiam scriberet, sed dialogum philosophicum componeret », et in Platonis loco non tam eorum quæ adolescentulus, quam quæ ætate adulta egisset Socrates, rationem habendam esse. Difficillimum mihi videtur esse Ionis testimonium repudiare, quo nihil explicitius esse potest.

ciæ tantum sed totius fere terrarum orbis partibus confluebant? Quos omnes tuo jure agas si statuas aliquem ad exstruendum Τριαγμῶν ædificium lapidem contulisse.

Alius vero fons est, isque uberrimus, unde nimirum multa defluxere, inter ea quæ Τριαγμοῖς continebantur : Orphicorum scilicet disciplina, cui non minorem quam Pythagoricis scriptis operam et studium noster impenderat. Cujus rei si indicia quæsieris, apud Clementem Alexandrinum invenies Ionem Chium in suis Τριαγμοῖς dixisse Pythagoram Orpheo carmina nonnulla a se composita adscripsisse [1]. Quod profecto crimen philosopho intendere Ion non potuisset, ni ipse pertractasset et plane cognita habuisset quæcumque tum sub Orphei nomine per manus traderentur. Præterea operæ pretium est animadvertere Ionis librum ab antiquis interdum fuisse tributum Epigeni. Quanquam errabant qui ita arbitrabantur, erroris tamen aliquam causam exstitisse necesse est. Suspicatus est Bentleius inde opinionem illam ortam esse, quod eodem volumime continerentur Ionis simul et Epigenis, qui de Ione scripserat, opera. Cur autem de Ione scripsisset Epigenes, quod vir doctus omisit explanare, facile, mea quidem sententia, reperies, si reputaveris Epigenem de Orpheo commentarios composuisse [2]. Cum de propria Orphicorum carminum indole dissereret, ad Ionis profecto Τριαγμούς ipso disputationis cursu deductus est, ideoque deductus est, quod Ion nimirum ex Orphicorum placitis nonnulla, imo vero plurima fortasse et sumpsisset et explicasset. Imo vero, Suidas non Epigeni, sed Orpheo ipsi Τριαγμούς assignavit : quanquam nemo est qui credat, ut Lobeckius ait, librum soluta oratione scriptum, in numerum carminum orphicorum posse referri [3], lexicographi tamen error testatur sæpe Ionis nomen cum Orphei nomine ab antiquis auctoribus consociatum esse. Ip-

1. Clemens Alexandrinus, *Stromat.* I, p. 863 (in volumine VIII, *Patrologiæ Græc.*). Vide Lobeckium, *Aglaophamus*, I, p. 452; cf. p. 532, 715, 723, etc.
2. Clemens Alexandr., *Strom.*, loco laudato. Cf. *ibid.*, V, p. 79.
3. Lobeck, *Aglaophamus*, I, p. 388. Suidas s. v. Ὀρφεύς · Ὀρφεὺς ἔγραψε Τριασμούς · λέγονται δὲ εἶναι Ἴωνος τοῦ τραγικοῦ.

sum denique libri exordium supra laudatum mysticum habet quiddam, ab obscura Orphicorum scribendi ratione non alienum, quo etiam in ceteris operis sui partibus usum esse Ionem haud immerito possumus arbitrari.

At, cum Ionem constet Orphicorum sententias in philosophicis operibus suis secutum esse, non satis perspicuum est quid ab eis mutatus sit. Etenim præterquam quod non consentiunt qui de Orphicorum opinionibus scripserunt [1], multa sunt quæ ab Orphicis simul et Pythagoreis usurpata erant, ita ut Pythagoreorum esse alius possit contendere, quæ alius suo jure ad Orphicos referat. Utrum Orphicorum, ut exemplo utar, an Pythagoreorum erat illa de animis opinio per aerem volitantibus [2]? Quam cum in dithyrambicis carminibus suis Ion, Aristophane teste, exponere non dubitasset, consentaneum est eum in philosophico libro non omisisse [3].

Quod si voluerimus nunc in universum æstimare qualis fuerit Ionis in philosophicis operibus indoles et virtus, apparebit eum, ut in ceteris litterarum generibus, ita in philoso-

1. Lobeck, *Aglaophamus*, I, p. 386.

2. Vide Zeller, *Philosophie des Grecs*, I, p. 430, in gallica translatione. Aristotelem laudat *(de Anima*, I, 5, 410, b 27), qui λόγον ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς καλουμένοις ἔπεσι esse dicit τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ ὅλου εἰσιέναι ἀναπνεόντων, φερομένην ὑπὸ τῶν ἀνέμων.

3. Sunt tamen quædam quæ ex Orphicis potius quam ex Pythagoreis ad Ionem permanavisse credam libenter : cujus generis sunt, ni fallor, quæ de Fortuna exposuerat. Non enim tantum creandis rebus naturalibus Fortunam adfuisse Ion dicebat, sed etiam illam arbitrabatur rerum humanarum procurationem habere et mortalium vitæ se immiscere, ut ex Plutarchi loco liquet. « Ion poeta, ait Plutarchus, in operibus prosa oratione scriptis dicit Fortunam, quanquam sit prudentiæ omnino dissimilis, simillima tamen efficere : utramque scilicet homines extollere, adornare, ad gloriam evehere, ad potestatem, ad imperium. » Plutarch., *de Fortuna Romana* (Mor., p. 316, d). Quod fragmentum quanquam inter historica fragmenta laudat, fatetur tamen C. Mueller *(Fragm. Historic. Græc.*, p. 51), aptius ad Τριαγμόν referri posse. Cf. Plutarchi *Quæst. sympos.*, VIII, 1, ubi eadem sententia reponitur, iterum Ioni adscripta. Non equidem argutias hic velim apponere. Non possum tamen facere quin adimadvertam inter Orphica exstare carmen in honorem Fortunæ compositum, in quo eædem omnino partes deæ assignantur, quas Ion Fortunæ assignaverat. « A te, inquit carminis auctor, pendet mortalium vita, variis vicibus obnoxia. Hominibus tu tum amplam bonorum copiam struis, tum malam pauperiem, iram sub corde volvens. Age vero, dea, oro te ut venias mihi benigna, bonis bona cumulans ». (Hymni Orphici, LXXII).

phia duplicem viam secutum esse. Veterum sapientium scilicet vestigia non deseruit, quippe qui in disputationibus suis nihil sibi proponeret, nisi ut, quæ esset mundi hujus causa, indagaret et exponeret; externarum rerum speculator et venator, neglexit ea quæ in animis intus aguntur, neque se ipsum, ut aiunt, nosse curavit; *physicus,* ut omnia uno verbo complectar, appellari etiam tum poterat. At etsi veterem tot priorum investigationum materiem missam non fecerat, novas tamen rerum causas afferebat, incorporales scilicet et hujusmodi quæ mente solum, non sensibus, perciperentur : inter quas insignis præsertim mihi videtur esse illa σύνεσις, quæ illius νοῦ, quem apud Anaxagoram invenimus, memoriam in mentem revocat. Si superfuisset integer Τριαγμός, eumdem, ni fallor, inter philosophos locum Ion obtineret, qui Diogeni Apolloniatæ assignatur. Uterque enim, cum veterum opinionum tenax esset, novæ tamen disciplinæ, Socratis prænuntiæ, fuit curiosissimus.

Cum in philosophico libro Ion omnium fere, qui tum, incipiente Peloponnesiaco bello, Athenis versabantur, sapientium virorum sententias inter se composuisse et conciliasse videatur, potest noster postremam vitæ partem in Attica, in ipsa Atheniensium urbe, exegisse. At omnino de extremo ejus ævi tempore veterum auctorum testimonia desunt. Unus exstat Aristophanis comœdiæ, quæ *Pax* inscribitur, locus, quo docemur Ionem anno 421 jam defunctum fuisse [1]. Si vera sunt quæ hujus libelli initio de ejus ortu exposuimus, annos fere sexaginta natus obiit. Quamvis apud Athenienses non esset ignobilis, attamen ne tum quidem illum laudis splendorem assecutus erat, cujus fuerat avidissimus, nec summo, ut videtur, desiderio ejus interitum civitas prosecuta est. Vix e vita cesserat, cum jam in theatro derisor Aristophanes, defuncti recentissime poetæ memoriam salibus suis refricando, eorum risus commovebat, quorum Ion, dum vixerat, suffragia maxime erat aucupatus.

1. Aristophanis Schol. ad *Pacem*, v. 835 et 837.

CONCLUSIO

Si voluerimus nunc breviter recolligere qualis fuerit Ionis in litteris virtus et propria indoles, videbitur ille præsertim ingenio ad omnia pariter flexibili fuisse insignis, et ea operum diversitate innotuisse cujus exemplum apud græcos scriptores qui antea exstiterant frustra quæsiveris. Ea ætate qua ceteros videmus partitionem quamdam litterarum fecisse et intra certos unius fere studii fines industriam suam continuisse, omnia fere ille delibavit.

At mirabilis illa studiorum varietas non modo ad judicandum Ionis ipsius ingenium, sed etiam ad cognoscendas varias Græcorum ingenii vices magni momenti est. In hoc enim uno homine novæ ætatis jam tum exorientis imago oculis nostris subjicitur : quæ jam longius abest ab eorum gravitate qui in priore quinti sæculi parte vixerant, et majore industria, vividiore animorum mobilitate prædita, omnes humanas disciplinas gestit pariter percurrere et doctrinæ artiumque universitatem comprehendit, non contenta in unoquoque genere excellere. Cum tot et tam varia Ionis studia intueor, persentiscere mihi videor sophistarum adventum, qui mox Athenas confluent et novas cognoscendi et disputandi vias munient : ne præstantissimus quidem et dilectissimus sophistarum ille discipulus, Critias, tot operum varietate apud suos æquales clarus, Ionis ingenii diversitatem adæquavit.

At non multa solum et inter se dissimillima Ion scriptis suis complexus est. Imo vero, in singulis operibus non idem

est semper atque simplex, sed inter duplicem viam hæret et in duas contrarias partes distrahitur. Quemadmodum, cum se publicis Atheniensium rebus immiscuit, Cimonis primum Thucydidisque fortunam secutus est, mox vero, infractis optimatium partibus, cum Pericle in gratiam videtur rediisse, — sic in operibus suis veterum auctorum imitator simul et juniorum æmulus noster exstitit. Antiquam elegorum formam quæ jam tum, post Simonidis mortem, cœperat paulatim obsolescere, coluit quidem atque integram servavit, carminum vero materiem ipsam mutavit et renovavit, cum ea studia, quibus ingenuorum virorum animi delectantur potius videatur cecinisse, quam argumenta usurpasse a prioribus poetis decantata ; — in tragœdiis Æschylum, veterem dilectumque magistrum, auctorem secutus est quod præsertim ad scribendi genus attinet depingendasque personarum naturas ; at sæpius se ad Euripidem morem accommodavit, utpote qui ejus sententiarum subtilitatem et rhetoricam artem imitaretur et quæ a majoribus de diis aut de heroibus tradita erant, immutaret ; — tractandam suscepit perantiquam cyclicorum chororum poesim, ita vero tractavit ut, quæcumque ab æqualibus in musicæ arte inventa erant, novisse et in carminibus suis adhibuisse eum pateat ; — quod ad historiam spectat, κτίσιν et ille suam, ut veteres primarum Græciæ originum indagatores, composuit, at simul novæ historiarum rationis, ὑπομνημάτων scilicet, inventor haberi potest ; — in philosophico denique libro, et quæ ab antiquis sapientibus excogitata erant, et quæ Anaxagoras, Socratis prænuntius, in scriptis suis exposuerat, inter se componere et consociare conatus est. Hinc nemo non videt quanti pretii futura essent Ionis opera, si integra ad nos pervenissent, quæ propius fidem est permultis rerum documentis abundasse : ad quorum lumen nobis nunc, antiquitatem investigantibus, clarius appareret illa Græcarum litterarum ætas quæ mediam quinti sæculi partem complectitur.

Ceterum ipsa illa scriptorum varietate qua aliquam sibi laudem comparavit, veræ suæ gloriæ Ion magis nocuit quam

consuluit. Qui potuisset ille, in tot operum generibus occupatus, in quibus singulis elaborare ita permagnum est, ut in uno quoque genere vix unus et alter eximius vir numeretur, laudibus omnino dignum aliquid condere et omnibus partibus absolutum? Cum præsertim non tam ingenio polleret et natura, quam arte et doctrina, non tam inveniendi vi et divinitus incitato spiritu, quam in scribendo diligentia atque cura. Caveamus tamen ne severius nos de Ione judicium faciamus, quam ipsi Athenienses qui eum semel arbitrati sunt non indignum esse qui primas in certamine tragico partes obtineret. Laudabilis in Ione fuit summus et sincerus litterarum amor; laudabilis grata quædam operum venustas et munditia, mollis elegantia sermonis et ornata ingenii concinnitas, quæ si minus animos rapit, at certe delectat et mulcet. Ad summam, in tanta minorum poetarum multitudine, quos longe supereminebant viri excellentes ad se omnium convertentes oculos, fuit unus e præstantissimis. Quod si non eo laudis splendore nitet, quo nunc etiam refulgent, post tantam annorum seriem, pauca illa quibus Græcia superbit divinorum ingeniorum nomina, at certe suam Ion non injucundam lucem habuit, qualem habere solet ille,quocum Aristophanes poetam Chium non illepide conferebat, ἀστὴρ ἀοῖος.

EXCURSUS AD CAPUT PRIMUM

QUO ANNO NATUS SIT ION

Non consentiunt docti viri quo anno natus sit Ion [1]. Plerique ad nodum exsolvendum Plutarchi loco utuntur (*Cimonis vita*, IX), in quo narratur Ionem Athenas venisse cum esset παντάπασι μειράκιον, et apud Laomedontem convivio adfuisse, cui et Cimo adesset. Inter epulas Cimo narrat quod strategema adhibuerit ut Athenienses prædæ ex hostibus, post Sesti et Byzantii oppugnationem, factæ meliorem partem acciperent [2].

Ex Plutarchi loco intelligitur Ionem tum quatuordecim vel quindecim annos fuisse natum, cum primum Athenas venit. At multo difficilius est quo anno Athenas venerit statuere. Venit Athenas *post Sesti et Byzantii expugnationem.* Quæ vero illa est, de qua Plutarchus loquitur, Sesti et Byzantii expugnatio? Rerum enim scriptores unam tantum *Sesti* oppugnationem memorant, eam scilicet quæ anno 478, post Mycalensem pugnam evenit. At non Cimo, sed Xanthippus Atheniensibus sociisque tum præerat, unde efficitur Plutarchum non potuisse expugnationem illam significare velle, ita ut omnino videatur illa nobis etiam negligenda esse. — Quod vero attinet ad *Byzantii* expugnationem, scimus oppidum bis captum esse : 1° anno 476, in qua expeditione Athe-

1. Bernhardy *(Grundr. d. gr. Litter.*, II, 2, p. 52) opinatur Ionem ortum esse initio Ol. 70 (500-499); Nieberding (*De Ionis vita*, etc., p. 1 sqq.), Kœpke *(De Ionis vita et fragmentis*, p. 4), et C. Mueller *(Fragm. Histor. græc.*, II, p. 44, Didot) putant eum natum esse Olymp. 74 (484-480); Rummler *(De Fontibus et Auctoritate Plutarchi in vita Cimonis)*, Olymp. 73 (488-484); Welcker *(Die Griechischen Tragœdien*, p. 937 sqq.), Olymp. 72, 4 (488); Bergk (*Griech. Liter.*, III, p. 603) anno 483-484; Schoell *(Rheinisches Museum* 1877, *Ueber Ion von Chius)* proponit Olympiadem 71 (496-492).

2. Plutarchi locum vide, p. 110 hujus libelli, 4.

niensibus Ionibusque præerant Aristides et Cimo ; summum autem navium copiarumque imperium Pausaniæ, Lacedæmoniorum regis, in manibus erat ; 2° iterum urbs capta est a Cimone Atheniensium classi præfecto. Sibi proponebat Cimo Byzantio Pausaniam expellere, qui sponte sua et privatus, non a Lacedæmonis jussus, in urbem redierat, et cum Persarum principibus clandestina consilia moliebatur. Quæ omnia anno circiter 470 (Olymp. 77, 3) evenerunt. At expeditionum illarum neutra cum Sesti expugnatione, in qua insuper Cimo exercitibus non præerat, congruere potest.

Rem expedire variis modis tentavere viri docti, Kirchhoff et E. Curtius. Quorum alter, Kirchhoff scilicet, suspicatur bis captam esse Sestum. Non diu, inquit, Sesti permanserant Athenienses postquam a Xanthippo capta erat, anno 478 ; urbem vero Cimon iterum expugnavit anno 470, cum adversus Pausaniam bellum gessit et eum Byzantio expulit [1]. Qui si vera exposuit, arbitremur necesse est convivium, cui adfuit Ion, post annum 470 evenisse.

Curtius vero opinatur prave retulisse Plutarchum quæ apud Ionem legisset. Non de *Sesti*, sed de *Eionis* expugnatione Ionem locutum esse putat : quæ Olymp. 77, 3 (470-469) evenit, ut apparet ex certis testimoniis [2].

At nihil expressius esse potest quam Plutarchi, aut Ionis a Plutarcho laudati, verba ; neque illa nobis videntur mutanda esse. Kirchhoff igitur auctorem secuti, credimus Sestum iterum captam esse ; at illam alteram expugnationem de qua loquitur vir doctus arbitramur evenisse ante annum 470. In eumdem, ni fallor, annum incidit, quo conjunctæ Lacedæmoniorum, Atheniensium et Ionum vires Byzantio una potitæ sunt, summum imperium obtinentibus Pausania Lacedæmoniorum rege, Aristide et Cimone, id est in annum 476.

Quibus rebus ad hanc opinionem adducar liceat apponere : 1° Admodum veri simile est alteram Sesti expugnationem inter prima militaria facinora fuisse quæ Cimo gessit strategi vice fungens. Plutarchus enim verbis quæ locum, de quo agimus, sequuntur, et quæ forsan ex Ione ipso profecta sint quod ad sententiam attinet, aperte significat antea Cimonem fortunarum expertem fuisse ; post vero Sesti Byzantiique expugnationem divitiis ita

1. Kirchhoff, *Abhandl. Berlin. Akad.*, 1873, p. 24, cum nota.
2. Curtius, *Histoire grecque*, II, p. 377 (Bouché-Leclercq).

abundasse, ut inde cœperit de civibus bene mereri largitionibus suis. Haud equidem ignoramus non semper diligentissime temporum ordinem in rebus narrandis Plutarchum observavisse; sed, cum omnino deficiat de ea re alterius testimonium, necesse est iis quæ Plutarchus refert contenti simus. — 2° Si anno 476 iterum Sestus capta est, confirmatur altera quædam conjectura, cujus idem ille Kirchooff inventor est, omnino, nostra quidem sententia, laudanda, quam ceterum auctor ipse probabilibus argumentis fulcire non omisit. Cum curiosius epigrammata stelis post reportatam apud Eionem victoriam in honorem Cimonis incisa et ab Æschine et Plutarcho servata [1], vir doctus inspiceret, ad hanc sententiam deductus est, neminem scilicet inveniri posse, ad quem auctorem potius referantur illa carmina, quam ad Ionem [2]. Quid vero? Si Sestus iterum expugnata est anno 470-469, id est anno quo etiam capta est Eion, cum stelæ in honorem Cimonis exstructæ non potuerint nisi eo ipso anno erigi, inde sequitur Cimonem apud Athenienses jam auctoritate potentem virum, advenæ et adolescentulo vix quindecim annos nato, quem primum inter epulas non ante cognitum, videbat, gloriæ suæ provinciam committere non dubitasse. Quod fieri non potuisse quis est quin intelligat? Si igitur Ion, ut vult Kirchhoff, carminum auctor fuit, necesse est inter Ionem et Cimonem longiorem et diuturniorem familiaritatis et consuetudinis usum exstitisse, et convivium, in quo Ion cum Cimone primum versatus est, ante annum 470 evenisse.

Ex his omnibus rebus quas exposuimus colligi potest epulas illas, de quibus loquitur Plutarchus, a Laomedonte Ioni et Cimoni neque ante annum 476, neque post annum 470 appositas esse.

At alia sunt argumenta quibus confirmatur hujus opinionis pars altera : inter quæ non leve pondus habere mihi videtur ipsum rerum genus in quibus versati sunt sermones inter convivas habiti. Ex his enim sermonibus manifestum est Themistoclem nondum Athenas reliquisse ut in exsilium proficisceretur [3]. Inter se nempe conferuntur et opponuntur ab epulantibus Cimonis et Themistoclis virtutes; in Cimone laudantur morum comitas, ingenii humanitas, vituperantur contra in Themistocle arrogantia et om-

1. Æschines, *In Ctesiph.*, 60; cf. Plutarchum, *Cimon*, VII.
2. Kirchhoff, *Hermes*, V (1871), p. 48 sqq.
3. In exsilium Themistocles profectus est anno 470.

nium liberalium studiorum rude ingenium : cui vituperationi parum salis inesse fateare necesse est, si de absente et exsulante sermo habitus est. Imo vero, non dissentiam si quis arbitretur tempore, quo de Themistocle talia ferebantur, nondum inter eum et Cimonem odium illud exarsisse quo inter se summi viri flagrabant cum Cimo summa ope nisus est ut Athenienses testarum suffragio impotentiorem civem suum ex urbe ejicerent. Pulchram quidem et eximiam, et Cimoni haud dubie gratissimam laudationem, si virtutem suam ita ab amicis celebratam audivisset, tanquam in una re tota jaceret, quod melius scilicet æmulo cantare didicisset, cum jam vehementes ita inter eos simultates ortæ essent, ut neutri vitalis esse vita Athenis videretur, ni alterum expulisset! Quis non videt graviora et majora tum convivas fuisse inventuros, ut magnum ducem eumdemque amicum suum dignis laudibus extollerent? Nihil aliud illæ Cimoni tributæ laudes mihi videntur esse quam vani rumores et nugæ et res levissimæ, quibus in principio inter se opponuntur sæpe viri clarissimi, et unde sensim, cum diu vulgatæ sunt, inimicitiæ oriuntur; quæ crescunt eundo, et vires augent, et mirum in modum amplificatæ, accedentibus mox mutuæ invidiæ causis gravioribus, aperta et acerbissima odia conflare solent.

Omnia igitur suadent ut credamus illam apud Laomedontem cœnam anno circiter 476, ut supra diximus, appositam esse, et, quod inde sequitur, anno circiter 476 Ionem Athenas primum venisse. Cum autem ille quartum decimum vel quintum decimum annum tum ageret, suspicari possumus eum natum esse intra annos 490-495. Quod pro vero si habuerimus, clariore tota Ionis vita luce illustrabitur et æquabiliore ordine explicabitur.

Quod si quis nobis objiciat anno 476 Pausaniam summum Græcarum navium imperium obtinuisse, neque ad alium convertere se potuisse Græcos quem eligerent ut præda inter se divideretur, ne hoc quidem mihi videtur defensione carere. Pausanias scilicet jam tum propter superbiam et arrogantiam suam Atheniensium sociis minus acceptus erat, atque illi Atheniensibus ducibus, Cimoni scilicet et Aristidi, navium suarum regimen detulerant quanquam nondum publice Lacedæmonii regis auctoritatem respuerant. Consentaneum est igitur eos Atheniensibus potius quam Spartanis dividendæ prædæ officium commisisse. Quod si Cimonem potius quam Aristidem ad hanc rem elegerunt, hoc fieri potuit,

quod plura se a Cimonis notissima liberalitate accepturos esse sperarent, quam ab Aristidis justitia.

Ceterum, nihil obstat quin partitio prædæ Chii facta sit, ut vult Curtius, quanquam de ea re nihil ab Ione ipso, cujus testimonio nititur vir doctus, nobis traditum est. Animadvertendum est enim cognatos atque amicos, qui ad redimendos captivos venerunt, Lydios plerosque fuisse et Phrygios, id est regionum, quæ Chio proximæ erant, incolas. Ii nimirum Hermi Meandrique valles secuti, recta ad littus descenderant quod Chio insulæ opponitur [1]. — Neque forsan absurdum sit conjicere Cimonem jam tum, Chii morantem, consuetudinem cum Ionis patre instituisse et adolescentulum Ionem secum Athenas, cum in Atticam regressus est, navibus suis advexisse.

1. Ἐκ Φρυγίας καὶ Λυδίας καταβαίνοντες. (Plutarch., *Cimon,* IX.)

IONIS FRAGMENTA

ΕΛΕΓΕΙΑ [1].

1

... Θυρσοφόροις μέγα πρεσβεύων Διόνυσος ·
αὕτη γὰρ πρόφασις παντοδαπῶν λογίων,
αἵ τε Πανελλήνων ἀγοραὶ θαλίαι τε ἀνάκτων,
ἐξ οὗ βοτρυόεσσ' οἰνὰς ὑποχθόνιον
πτόρθον ἀνασχομένη θαλερῷ ἐπτύξατο πήχει
αἰθέρος · ὀφθαλμῶν δ' ἐξέθορον πυκινοὶ
παῖδες φωνήεντες, ὅταν πέσῃ ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ,
πρὶν δὲ σιωπῶσιν · παυσάμενοι δὲ βοῆς
νέκταρ ἀμέλγονται μόνον ὄλβιον ἀνθρώποισιν,
ξυνὸν τοῦ χαίρειν φάρμακον αὐτοφυές ·
τοῦ θαλίαι φίλα τέκνα φιλοφροσύναι τε χοροί τε ·
τῶν δ' ἀγαθῶν βασιλεὺς οἶνος ἔδειξε φύσιν.
Τῷ σύ, πάτερ Διόνυσε, φιλοστεφάνοισιν ἀρέσκων
ἀνδράσιν, εὐθύμων συμποσίων πρύτανι,
χαῖρε · δίδου δ' αἰῶνα, καλῶν ἐπιήρανε ἔργων,
πίνειν καὶ παίζειν καὶ τὰ δίκαια φρονεῖν.

2

Χαιρέτω ἡμέτερος βασιλεὺς σωτήρ τε πατήρ τε ·
ἡμῖν δὲ κρητῆρ' οἰνοχόοι θέραπες
κιρνάντων προχύταισιν ἐν ἀργυρέοις · ὁ δὲ χρυσὸς
οἶνον ἔχων χειρῶν νιζέτω εἰς ἔδαφος ·
σπένδοντες δ' ἁγνῶς Ἡρακλέϊ τ' Ἀλκμήνῃ τε
Προκλέϊ Περσείδαις τ' ἐκ Διὸς ἀρχόμενοι
πίνωμεν, παίζωμεν · ἴτω διὰ νυκτὸς ἀοιδή,

1. Elegiarum fragmenta dedi, qualia edidit Bergk, *Lyrici Græci,* pars II, vol. 1.

ὀρχείσθω τις · ἑκὼν δ' ἄρχε φιλοφροσύνης.
ὅντινα δ' εὐειδὴς μίμνει θήλεια πάρευνος,
κεῖνος τῶν ἄλλων κυδρότερον πίεται.

3

Ἑνδεκάχορδε λύρα, δεκαβάμονα τάξιν ἔχουσα,
τὰς συμφωνούσας ἁρμονίας τριόδους ·
πρὶν μέν σ' ἑπτάτονον ψάλλον διὰ τέσσαρα πάντες
Ἕλληνες σπανίαν μοῦσαν ἀειράμενοι.

4

Ὣς ὁ μὲν ἠνορέῃ τε κεκασμένος ἠδὲ καὶ αἰδοῖ
καὶ φθίμενος ψυχῇ τερπνὸν ἔχει βίοτον,
εἴπερ Πυθαγόρης ἐτύμως ὁ σοφὸς περὶ πάντων
ἀνθρώπων γνώμας εἶδε καὶ ἐξέμαθεν.

5

Αὐτὰρ ὅγ' ἐμμαπέως τὸν ὀρίγανον ἐν χερὶ κεύθει.

6

Τήν ποτε Θησείδης ἔκτισεν Οἰνοπίων.

7

Athenæus, X, 436 f. : καὶ αὐτὸς δὲ (Ἴων) ἐν τοῖς ἐλεγείοις ἐρᾶν μὲν ὁμολογεῖ Χρυσίλλης τῆς Κορινθίας, Τελέου δὲ θυγατρός [1].

Epigramma stelis in honorem Cimonis exstructis incisum et Ioni a Kirchhoff adscriptum [2].

Ἔκ ποτε τῆσδε πόληος ἅμ' Ἀτρείδῃσι Μενεσθεὺς
ἡγεῖτο ζάθεον Τρωικὸν ἂμ πεδίον ·
ὅν ποθ' Ὅμηρος ἔφη Δαναῶν πύκα θωρηκτάων
κοσμητῆρα μάχης ἔξοχον ἄνδρα μολεῖν.
οὕτως οὐδὲν ἀεικὲς Ἀθηναίοισι καλεῖσθαι
κοσμητὰς πολέμου τ' ἀμφὶ καὶ ἠνορέης.

ἦν ἄρα κἀκεῖνοι ταλακάρδιοι, οἵ ποτε Μήδων
παισὶν ἐπ' Ἠιόνι, Στρυμόνος ἀμφὶ ῥοάς,

1. Consulto omitto epigramma in honorem mortui Euripidis compositum, quod non potuit ab Ione Chio, ante Euripidem defuncto, scribi.
2. Epigrammatis textum exhibeo qualem edidit Kirchhoff *(Hermes*, V, 1871).

λιμόν τ' αἴθωνα κρυερόν τ' ἐπάγοντες Ἄρηα
πρῶτοι δυσμενέων εὗρον ἀμηχανίην.

ἡγεμόνεσσι δὲ μισθὸν Ἀθηναῖοι τάδ' ἔδωκαν
ἀντ' εὐεργεσίης καὶ μεγάλης ἀρετῆς.
μᾶλλόν τις τάδ' ἰδὼν καὶ ἐπεσσομένων ἐθελήσει
ἀμφὶ περὶ ξυνοῖς πράγμασι δῆριν ἔχειν.

TRAGŒDIARUM FRAGMENTA[1]

ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ

1

Athenæus, XI, 468 c :

οἴσει δὲ δῶρον ἄξιον δραμήματος
ἔκπωμα δακτυλωτόν, ἄχραντον πυρὶ,
Πελίου μὲν ἆθλον, Κάστορος δ' ἔργον ποδῶν.

2

Stobæus, *Florilegium*, 120, 16 :

κακῶν ἀπέστω θάνατος, ὡς ἴδῃ κακά.

3

Hesychius, 2 p. 366 :

ἱππικὸν χλίδος.

4

Hesychius, 3 p. 295 :

πεδανῷ ὕπνῳ.

5

Schol. Aristophanis, *Aves* 1110 :

αἰετός.

---

1. Secundum Nauck *(Tragicorum græc. fragm.,* edit. secunda, 1889).

ΑΛΚΜΗΝΗ

6

Hesychius, 2 p. 437 :

καταφράκτοις ψυχαῖς.

7

Pollux, 10, 92 :

σάγη φερέσβιος.

8

Hesychius, 1 p. 324 :

αὐτάγητοι.

ΑΡΓΕΙΟΙ

9

Hesych., 4 p. 12 :

ὡς παλαιὸν οἰκίας σάρον.

ΕΥΡΥΤΙΔΑΙ

10

Athenæus, XI, 495, B :

ἐκ ζαθέων πιθακνῶν ἀφύσαντες ὄλπαις
οἶνον ὑπερφίαλον κελαρύζετε.

11

Hesych., 1 p. 64 :

ἀθίκτους κόρας.

12

Hesych., 2 p. 349 :

ἰήιος.

13

Hesych., 2 p. 548 :

κυδρός.

ΛΑΕΡΤΗΣ

14

Athenæus, VI, 267, D :

ἴθι μοι, δόμον, οἰκέτα, κλῆσον ὑπόπτερος,
μή τις ἔλθῃ βροτῶν.

ΜΕΓΑ ΔΡΑΜΑ

15

Pollux, 10, 177 :

ψαθαρὸν νάρθηκα.

16

Hesych., 3 p. 83 :

μελαγχρῆ.

17

Hesych., 3 p. 210 :

ὀνοταζομένη.

ΟΜΦΑΛΗ ΣΑΤΥΡΟΙ

18

Strabo, I p. 60.

Εὐβοῖδα μὲν γῆν λεπτὸς Εὐρίπου κλύδων
Βοιωτίας ἀκτῆς ἐχώρισεν ἐκτεμὼν
προβλῆτα πορθμῷ [1].

19

Hesych., 4 p. 66 :

σπίλον Παρνασσίαν.

20

Athen., XI, 501, F :

ἴτ' ἐκφορεῖτε, παρθένοι,
κύπελλα καὶ μεσομφάλους.

21

Athen., VI, 258, F :

ἐνιαυσίαν γὰρ δεῖ με τὴν ἑορτὴν ἄγειν.

22

Athen., XIV, 634, F :

ἀλλ' εἶα, Λυδαὶ ψάλτριαι, παλαιθέτων
ὕμνων ἀοιδοί, τὸν ξένον κοσμήσατε.

1. Secundum Bentleii conjecturam. *(Epistol, ad Millium.)*

23

Athen., XIV, 634, C :

Λυδός τε μάγαδις αὐλὸς ἡγείσθω βοῆς.

24

Athen., XV, 690, B :

βακκάρεις δὲ καὶ μύρα
καὶ Σαρδιανὸν κόσμον εἰδέναι χροὸς
ἄμεινον ἢ τὸν Πέλοπος ἐν νήσῳ τρόπον.

25

Pollux, 5, 101 :

καὶ τὴν μέλαιναν στίμμιν ὀμματογράφον.

26

Athen., XI, 498, E :

οἶνος οὐκ ἔνι
ἐν τῷ σκύφει...

27

Etym. M. p. 671, 41 :

ἔπεισας · ἀλλὰ [1] πῖθι Πακτωλοῦ ῥοάς.

28

Phot. Lex. p. 34, 2 :

ἐξανθρακώσας πυθμέν' εὔκηλον δρυός.

29

Athen., X, 411, B :

.... ὑπὸ δὲ τῆς βουλιμίας
κατέπνε καὶ τὰ κᾶλα καὶ τοὺς ἄνθρακας.

30

Pollus, 2, 95 :

κατὰ δὲ τὴν Ἴωνος τοῦ Χίου δόξαν τ ρ ι σ τ ο ί χ ο υ ς Ἡρακλῆς (τοὺς ὀδόντας εἶχεν).

31

Hesych., 2, p. 197 :

ἐρρωπίζομεν.

1. Prima hæc duo verba inveniuntur in *Etymologico Magno florentino*. E, Miller, *Mélanges de littérature grecque* (1868).

32

Harpocrat., p. 98, 14 :

θίασος.

33

Schol. Aristoph. *Av.* 1680 :

χελιδόνες.

ΤΕΥΚΡΟΣ

34

Hesych., 1, p. 73 :

ἄιδροι.

35

Hesych., 1, p. 158 :

ἀμφιβώτης.

ΦΟΙΝΙΞ

36

Athen., VII, 318, E :

καὶ τὸν πετραῖον πλεκτάναις ἀναίμοσιν
στυγῶ μεταλλακτῆρα πουλύπουν χροός.

37

Pollux, 9, 37 :

ἀλλ' ὦ θυρέτρων τῶνδε κωμῆται θεοί.

38

Athen., III, 91, D :

ἀλλ' ἐν τῇ χέρσῳ τὰς λέοντος ᾔνεσα
ἢ τὰς ἐχίνου μᾶλλον οἰξυρὰς τέχνας·
ὃς εὖτ' ἂν ἄλλων κρεισσόνων ὁρμὴν μάθῃ,
στρόβιλος ἀμφ' ἄκανθαν εἱλίξας δέμας
κεῖται δακεῖν τε καὶ θιγεῖν ἀμήχανος·

39

Athen., IV, 184, F :

ἐπὶ δ' αὐλὸς ἀλέκτωρ Λύδιον ὕμνον ἀχέων.

40

Athen., X, 451, D :

δρυὸς μ' ἱδρὼς
καὶ θαμνομήκης ῥάβδος ἤ τ' Αἰγυπτία
βόσκει λινουλκὸς χλαῖνα θήραγρος πέδη.

41

Aristoph., *Ran.*, 706 :

εἰ δ' ἐγὼ ὀρθὸς ἰδεῖν βίον ἀνέρος <ἢ τρόπον, ὦ> πολιῆται.

42

Athen., IV, 185, A :

ἔκτυπον ἄγων βαρὺν αὐλὸν τρέχοντι ῥυθμῷ.

43

Hesych., 4 p. 157 :

τιμαλφής.

ΦΡΟΥΡΟΙ

44

Aristoph., *Ranæ*, 1425 :

σιγᾷ μέν, ἐχθαίρει δέ, βούλεταί γε μήν,

45

Athen., IV, 185, A :

ῥοθεῖ δέ τοι σῦριγξ Ἰδαῖος ἀλέκτωρ.

46

Hesych., 3 p. 159 :

νιφόεσσ' Ἑλένη.

47

Hesych., 3 p. 411 :

πυργεῖαν σκοπήν.

48

Schol. Plat., p. 935 b 4 :

στέφανοι χειρῶν.

49

Hesych., 2 p. 493 :

κλητῆρα.

Incertarum fabularum fragmenta.

50

Athen., I, 21, A :

ἐκ τῶν ἀέλπτων μᾶλλον ὤρχησαι φρένας

51

Athen., XI, 478, B :

κότυλον οἴνου πλέων.

52

Hesych., 3 p. 163 :

Νυμφαῖον ὄχθον.

53

Philo Jud., vol. 2, p. 466 :

οὐδ' ὅ γε σῶμα τυπεὶς διφυεῖς τε κόρας ἐπιλάθεται ἀλκᾶς
ἀλλ' ὀλιγοδρανέων φθογγάζεται·
θάνατον δ' ὅ γε δουλοσύνας προβέβουλεν [1].

54

Plutarchus, *Consol. ad Apollon.* c. 22 p. 113, B :

ἐξῆλθον ὑμῶν ἱκέτις ἡβώντων τροφός
παίδων, βόθρους λιποῦσα πενθητηρίους.

55

Plutarch., *Consol. ad Apollon.*, c, 28, p. 116, D :

τὸ γνῶθι σαυτὸν τοῦτ' ἔπος μὲν οὐ μέγα,
ἔργον δ' ὅσον Ζεὺς μόνος ἐπίσταται θεῶν.

56

Plutarch., *de Tranquillit. animi*, c. 3, p. 466, D :

φίλων δ' ὅ τ' ἐλθὼν λυπρὸς ὅ τ' ἀπιὼν βαρύς.

57

Plutarch., *Quæst. conviv.*, 3, 10, 1 p. 658, C :

μέλας γὰρ αὐταῖς οὐ πεπαίνεται βότρυς.

58

Plutarch., *Vit. Demosth.*, c. 3 :

κακὴ γὰρ ἡ δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία.

1. « Locum esse *Phœnicis sive Cœnei* ex fragm. 41 probabiliter conclusit Meineke. » (Nauck.)

59

Pollux, 7, 60 :

βραχὺν λίνου κύπασσιν ἐς μηρὸν μέσον
ἐσταλμένος [1]

60

Schol. Euripidis, *Phœnic.*, 209 :

ὅταν δὲ πόντου πεδίον Αἰγαῖον δράμω.

61

Schol. Euripid., *Phœnic.*, 1149 :

τύπτων τὸν αὑτοῦ κρᾶτα.

62

Schol. Bern. in Virg. *Georg.* I, 482 : ubi enim Eridanus sit, multi errant (*fort.* certant) : Ctesias hunc in India esse adfirmat, vel Chœrilus in Germania, in quo flumine Phaethon exstinctus est, vel Ion in Achaia.

63

Sextus Empiric., p. 679, 27 de Spartanis :

οὐ γὰρ λόγοις Λάκαινα πυργοῦται πόλις,
ἀλλ' εὖτ' ἂν Ἄρης νεοχμὸς ἐμπέσῃ στρατῷ,
βουλὴ μὲν ἄρχει, χεὶρ δ' ἐπεξεργάζεται.

64

Pollux, 6, 98 :

βομβυλιός.

65

Hesych., 3 p. 408 :

πυκναία.

66

Strabo, VIII, p. 364 :

ῥᾷ.

67

Choræb. in Theodos. p. 230, 34 (Anecd. Bekk., p. 1195) :

ταχεῖ.

1. *Omphalæ* esse locum, quo Hercules describatur Omphalæ tunica iudutus, probabiliter conjecit Meineke, *Anthol. del.*, p. 144.

68

Hesych., 4, p. 252 :

φοινικόλεγνον.

ΔΙΘΥΡΑΜΒΟΙ [1].

1

Athen., II, 35, E :

. . . . ἄδαμον
παῖδα, ταυρωπόν, νέον οὐ νέον, ἥδιστον πρόπολον
βαρυγδούπων ἐρώτων, οἶνον ἀερσίνοον,
ἀνθρώπων πρύτανιν.

2

Sch. Aristoph. *Pac.*, 835 :

Ἀώιον ἀεροφοίταν
ἀστέρα μείναμεν ἀελίου λευκοπτέρυγα πρόδρομον.

4

Schol. Apoll. Rh., I, 1165 :

Καὶ Ἴων ἐν διθυράμβῳ ἐκ μὲν τοῦ πελάγους αὐτὸν (Ἀιγαίωνα) φησὶ παρακληθέντα (ὑπὸ Θέτιδος) ἀναχθῆναι, φυλάξοντα τὸν Δία· Θαλάσσης τὲ παῖδα.

4

Argument. Soph. *Antigonæ :*

Στασιάζεται δὲ τὰ περὶ τὴν ἡρωΐδα ἱστορούμενα καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Ἰσμήνην, ἅς ὁ μὲν Ἴων ἐν τοῖς διθυράμβοις καταπρησθῆναί φησιν ἀμφοτέρας ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἥρας ὑπὸ Λαοδάμαντος τοῦ Ἐτεοκλέους.

ΥΜΝΟΣ ΕΙΣ ΚΑΙΡΟΝ [2].

Pausanias, V, 14, 9 :

Ἴωνι δὲ οἶδα τῷ Χίῳ καὶ ὕμνον πεποιημένον Καιροῦ· γενεαλογεῖ δὲ ἐν τῷ ὕμνῳ νεώτατον παίδων Διὸς Καιρὸν εἶναι.

1. Secundum textum a Bergkio editum, *Lyr. Græci*, II pars, 1.
2. Bergk dithyrambis adscribit tragœdiarum fragmentum 53.

FRAGMENTA PROSA ORATIONE CONSCRIPTA [1]

ΕΠΙΔΗΜΙΑΙ

1

Athenæus, XIII, 603, E :

Φιλομεῖραξ δὲ ἦν ὁ Σοφοκλῆς, ὡς Εὐριπίδης φιλογύνης. Ἴων γοῦν ὁ ποιητὴς ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις Ἐπιδημίαις γράφει οὕτως · « Σοφοκλεῖ τῷ ποιητῇ ἐν Χίῳ συνήντησα ὅτε ἔπλει εἰς Λέσβον στρατηγὸς, ἀνδρὶ παιδιώδει παρ' οἶνον καὶ δεξιῷ. Ἑρμεσίλεω δὲ, ξένου οἱ ἐόντος καὶ προξένου Ἀθηναίων, ἑστιῶντος αὐτὸν, ἐπεὶ παρὰ τὸ πῦρ ἑστεὼς ὁ τὸν οἶνον ἐγχέων παῖς [ἐρυθρὸς] ἐὼν δῆλος ἦν, εἶπέ τε, Βούλει με ἡδέως πίνειν; φάντος δ' αὐτοῦ, Βραδέως τοίνυν καὶ πρόσφερέ μοι καὶ ἀπόφερε τὴν κύλικα. Ἔτι πολὺ μᾶλλον ἐρυθριάσαντος τοῦ παιδὸς, εἶπε πρὸς τὸν συγκατακειμένον, Ὡς καλῶς Φρύνιχος ἐποίησεν, εἴπας ·

Λάμπει δ' ἐπὶ πορφυρέαις παρῇσι φῶς ἔρωτος.

Καὶ πρὸς τόδε ἠμείφθη ὁ Ἐρετριεὺς ἢ Ἐρυθραῖος γραμμάτων ἐὼν διδάσκαλος · « Σοφὸς μὲν δὴ σύ γε εἶ, ὦ Σοφόκλεις, ἐν ποιήσει · ὅμως μέντοι γε οὐκ εὖ εἴρηκε Φρύνιχος, πορφυρέας εἰπὼν τὰς γνάθους τοῦ καλοῦ. Εἰ γὰρ ὁ ζωγράφος χρώματι πορφυρέῳ ἐναλείψειε τουδὶ τοῦ παιδὸς τὰς γνάθους, οὐκ ἂν ἔτι καλὸς φαίνοιτο. Οὐ κάρτα δεῖ τὸ καλὸν τῷ μὴ καλῷ φαινομένῳ εἰκάζειν. » Ἀναγελάσας ἐπὶ τῷ Ἐρετριεῖ Σοφοκλῆς · « Οὐδὲ τόδε σοι ἀρέσκει ἄρα, ὦ ξένε, τὸ Σιμωνίδειον, κάρτα δοκέον τοῖς Ἕλλησιν εὖ εἰρῆσθαι.

Πορφυρέου ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὰν παρθένος;

οὐδ' ὁ ποιητὴς, ἔφη, λέγων χρυσοκόμαν Ἀπόλλωνα; Χρυσέας γὰρ εἰ ἐποίησεν ὁ ζωγράφος τὰς τοῦ θεοῦ κόμας, καὶ μὴ μελαίνας, χεῖρον ἂν ἦν τὸ ζωγράφημα. Οὐδὲ ὁ φὰς ῥοδοδάκτυλον; Εἰ γάρ τις ῥόδεον χρῶμα βάψειε τοὺς δακτύλους, πορφυροβάφου χεῖρας καὶ οὐ γυναικὸς καλῆς ποιήσειε. » Γελασάντων δὲ, ὁ μὲν Ἐρετριεὺς ἐνωπήθη τῇ ἐπιραπίξει, ὁ δὲ πάλιν τοῦ παιδὸς τῷ λόγῳ εἴχετο. Εἴρετο γάρ μιν, ἀπὸ τῆς κύλικος κάρφος τῷ μικρῷ δακτύλῳ ἀφαι-

1. Fragmenta exhibemus qualia edidit C. Mueller, *Fragmenta historic. Græc.*, II, p. 46 sqq.

ρετετέοντα, εἰ καθορᾷ τὸ κάρφος. Φάντος δὲ καθορᾶν, Ἄπο τοίνυν φύσησον αὐτὸ, ἵνα μὴ πλύνοιτο ὁ δάκτυλος εὖ. Προσαγαγόντος δ' αὐτοῦ τὸ πρόσωπον πρὸς τὴν κύλικα, ἐγγυτέρω τὴν κύλικα τοῦ ἑαυτοῦ στόματος ἦγεν, ἵνα δὴ ἡ κεφαλὴ τῇ κεφαλῇ ἀσσοτέρα γένηται. Ὡς δ' ἦν οἱ κάρτα πλησίον, προσλαβὼν τῇ χειρὶ ἐφίλησεν. Ἐπικροτησάντων δὲ πάντων σὺν γέλωτι καὶ βοῇ, ὡς εὖ ὑπηγάγετο τὸν παῖδα, Μελετῶ, εἶπε, στρατηγεῖν, ὦ ἄνδρες · ἐπειδήπερ Περικλῆς ποιεῖν μὲ ἔφη, στρατηγεῖν δ' οὐκ ἐπίστασθαι. Ἆρ' οὖν οὐ κατ' ὀρθόν μοι πέπτωκε τὸ στρατήγημα; Τοιαῦτα πολλὰ δεξιῶς ἔλεγέ τε καὶ ἔπρησσεν, ὅτε πίνοι ἢ πράσσοι [1]. Τὰ μέντοι πολιτικὰ οὔτε σοφὸς οὔτε ῥεκτήριος ἦν, ἀλλ' ὡς ἄν τις εἷς τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων. »

2

Athenæus. III, 93, A : τῶν δὲ χημῶν μνημονεύει Ἴων ὁ Χῖος ἐν Ἐπιδημίαις.

3

Athenæus, III, 107, A : Καὶ ὁ Χῖος δὲ Ἴων ἐν ταῖς Ἐπιδημίαις ἔφη · τῷ ἐπίπλῳ ἐπικαλύψας.

4

Plutarch., *Cimon,* IV : Συνδειπνῆσαι δὲ τῷ Κίμωνί φησιν ὁ Ἴων παντάπασι μειράκιον ἥκων εἰς Ἀθήνας ἐκ Χίου παρὰ Λαομέδοντι · καὶ τῶν σπονδῶν γενομένων παρακληθέντος ᾆσαι καὶ ᾄσαντος οὐκ ἀηδῶς ἐπαινεῖν τοὺς παρόντας ὡς δεξιώτερον Θεμιστοκλέους · ἐκεῖνον γὰρ ᾄδειν μὲν οὐ φάναι μαθεῖν οὐδὲ κιθαρίζειν, πόλιν δὲ ποιῆσαι μεγάλην καὶ πλουσίαν ἐπίστασθαι · τοὐντεῦθεν, οἷον εἰκὸς ἐν πότῳ, τοῦ λόγου ῥυέντος ἐπὶ τὰς πράξεις τοῦ Κίμωνος, καὶ μνημονευομένων τῶν μεγίστων, αὐτὸν ἐκεῖνον ἓν διελθεῖν στρατήγημα τῶν ἰδίων ὡς σοφώτατον. Ἐπεὶ γὰρ ἐκ Σηστοῦ καὶ Βυζαντίου πολλοὺς τῶν βαρβάρων αἰχμαλώτους λαβόντες οἱ σύμμαχοι τῷ μὲν Κίμωνι διανεῖμαι προσέταξαν, ὁ δὲ χωρὶς μὲν αὐτοὺς, χωρὶς τὲ τὸν περὶ τοῖς σώμασι κόσμον αὐτῶν ἔθηκεν, ἠτιῶντο τὴν διανομὴν ὡς ἄνισον. Ὁ δὲ τῶν μερίδων ἐκέλευσεν αὐτοὺς ἑλέσθαι τὴν ἑτέραν, ἣν δ' ἂν ἐκεῖνοι καταλίπωσιν ἀγαπήσειν Ἀθηναίους. Ἡροφύτου δὲ τοῦ Σαμίου συμβουλεύσαντος αἱρεῖσθαι τὰ Περσῶν μᾶλλον ἢ Πέρσας, τὸν μέν κόσμον αὐτοὶ ἔλαβον, Ἀθηναίοις δὲ τοὺς αἰχμαλώτους ἀπέλιπον. Καὶ τότε μὲν ὁ Κίμων ἀπῄει γελοῖος εἶναι δοκῶν διανομεύς, τῶν μὲν συμμάχων ψέλια χρυσᾶ καὶ μανιάκας καὶ στρεπτοὺς καὶ κάνδυας καὶ πορφύραν φερομένων, τῶν δ' Ἀθηναίων γυμνὰ σώματα κακῶς ἠσκημένα πρὸς ἐργασίαν παραλαβόντων. Μικρὸν δ' ὕστερον οἱ τῶν ἑαλωκότων φίλοι καὶ οἰκεῖοι καταβαίνοντες ἐκ Φρυγίας καὶ Λυδίας ἐλυτροῦντο μεγάλων χρημάτων ἕκαστον, ὥστε τῷ

1. Legendum esse suspicor παίζοι.

Κίμωνι τεσσάρων μηνῶν τροφὰς εἰς τὰς ναῦς ὑπάρξαι καὶ προσέτι τῇ πόλει χρυσίον οὐκ ὀλίγον ἐκ τῶν λύτρων περιγενέσθαι.

5

Plutarch., *Pericles,* V : Ὁ δὲ ποιητὴς Ἴων μοθωνικήν φησι τὴν ὁμιλίαν καὶ ὑπότυφον εἶναι τοῦ Περικλέους καὶ ταῖς μεγαλαυχίαις αὐτοῦ πολλὴν ὑπεροψίαν ἀναμεμῖχθαι καὶ περιφρόνησιν τῶν ἄλλων · ἐπαινεῖ δὲ τὸ Κίμωνος ἐμμελὲς καὶ ὑγρὸν καὶ μεμουσωμένον ἐν ταῖς περιφοραῖς. Ἀλλ' Ἴωνα μὲν ὥσπερ τραγικὴν διδασκαλίαν ἀξιοῦντα τὴν ἀρετὴν ἔχειν τι πάντως καὶ σατυρικὸν μέρος ἐῶμεν....

6

Plutarch., Cimon, V : ἦν δὲ καὶ ἰδέαν οὐ μεμπτὸς (ὁ Κίμων), ὥς Ἴων ὁ ποιητής φησιν, ἀλλὰ μέγας, οὔλῃ καὶ πολλῇ τριχὶ κομῶν τὴν κεφαλήν.

7

Plutarch., *Cimon,* 16 : Ὁ δ' Ἴων ἀπομνημονεύει καὶ τὸν λόγον, ᾧ μάλιστα τοὺς Ἀθηναίους ἐκίνησε (ὁ Κίμων) παρακαλῶν μήτε τὴν Ἑλλάδα χωλὴν μήτε τὴν πόλιν ἑτερόζυγα περιιδεῖν γεγενημένην.

8

Plutarch., *Pericles,* 28 : Θαυμαστὸν δὲ τι καὶ μέγα φρονῆσαι καταπολεμήσαντα τοὺς Σαμίους φησὶν αὐτὸν (τὸν Περικλέα) ὁ Ἴων, ὡς τοῦ μὲν Ἀγαμέμνονος ἔτεσι δέκα βάρβαρον πόλιν, αὐτοῦ δὲ μησὶν ἐννέα τοὺς πρώτους καὶ δυνατωτάτους Ἰώνων ἑλόντος.

9

Diogen. Laert., II, 7 : Ἴων δὲ ὁ Χῖος καὶ νέον ὄντα (τὸν Σωκράτην) εἰς Σάμον σὺν Ἀρχελάῳ ἀποδημῆσαί φησιν.

ΧΙΟΥ ΚΤΙΣΙΣ

1

Pausanias, VII, 4, 8 : Ἴωνι δὲ τῷ ποιήσαντι τραγῳδίαν ἐστὶν ἐν τῇ συγγραφῇ τοιάδε εἰρημένα · Ποσειδῶνα ἐς τὴν νῆσον ἔρημον οὖσαν ἀφικέσθαι, καὶ νύμφῃ τε ἐνταῦθα συγγενέσθαι καὶ ὑπὸ τὰς ὠδῖνας τῆς νύμφης χιόνα ἐξ οὐρανοῦ πεσεῖν ἐς τὴν γῆν, καὶ ἀπὸ τούτου Ποσειδῶνα τῷ παιδὶ ὄνομα θέσθαι Χίον · συγγενέσθαι δὲ αὐτὸν καὶ ἑτέρᾳ νύμφῃ καὶ γενέσθαι οἱ παῖδας Ἄγελόν τε καὶ Μέλανα · ἀνὰ χρόνον δὲ καὶ Οἰνοπίωνα ἐς τὴν Χίον καταρᾶι ναυσὶν ἐκ Κρήτης, ἕπεσθαι δέ οἱ καὶ τοὺς παῖδας Τάλον καὶ Εὐάνθην καὶ Μέλανα καὶ Σάλαγον (?) καὶ Ἀθάμαντα (?). Ἀφίκοντο δὲ καὶ Κᾶρες ἐς τὴν νῆσον ἐπὶ τῆς

Οἰνοπίωνος βασιλείας καὶ Ἄβαντες ἐξ Εὐβοίας. Οἰνοπίωνος δὲ καὶ τῶν παίδων ἔλαβεν ὕστερον Ἄμφικλος τὴν ἀρχήν · ἀφίκετο δὲ ἐξ Ἱστιαίας ὁ Ἄμφικλος τῆς ἐν Εὐβοίᾳ κατὰ μάντευμα ἐκ Δελφῶν. Ἕκτωρ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἀμφίκλου τετάρτη γενεᾷ, βασιλείαν γὰρ ἔσχε καὶ οὗτος, ἐπολέμησεν Ἀβάντων καὶ Καρῶν τοῖς οἰκοῦσιν ἐν τῇ νήσῳ, καὶ τοὺς μὲν ἀπέκτεινεν ἐν ταῖς μάχαις, τοὺς δὲ ἀπελθεῖν ἠνάγκασεν ὑποσπόνδους. Γενομένης δὲ ἀπαλλαγῆς πολέμου Χίοις, ἀφικέσθαι τηνικαῦτα ἐς μνήμην Ἕκτορι ὡς σφᾶς καὶ Ἴωσι δέοι συνθύειν ἐς Πανιώνιον · τρίποδα δὲ ἆθλον λαβεῖν αὐτὸν ἐπὶ ἀνδραγαθίᾳ παρὰ τοῦ κοινοῦ φησί τοῦ Ἰώνων. Τοσαῦτα εἰρηκότα ἐς Χίους Ἴωνα εὕρισκον · οὐ μέντοι ἐκεῖνό γε εἴρηκε καθ' ἥντινα αἰτίαν Χῖοι τελοῦσιν ἐς Ἴωνας.

2

Athenæus, X, 426, E : ... Ἴων ὁ ποιητὴς ἐν τῷ Περὶ Χίου φησὶν, ὅτι εὑρὼν ὁ μάντις Παλαμήδης ἐμαντεύσατο, πλοῦν ἔσεσθαι τοῖς Ἕλλησι, πινοῦσι τρεῖς πρὸς ἕνα κυάθους.

3

Etymol. M. : Λόγχας τὰς μερίδας Ἴωνες λέγουσιν. Ἴων ἐν Χίου κτίσει · ἐκ τῆς τέως λόγχης λόγχας ποιεῖν.

4

Phrynichus, p. 312, ed. Lob. : Παραθήκην Ἱππίαν καὶ Ἴωνα τινα συγγραφέα φασὶν εἰρηκέναι, ἡμεῖς δὲ τοῦτο παρακαταθήκην ἐροῦμεν, ὡς Πλάτων καὶ Θουκυδίδης καὶ Δημοσθένης.

5

Suidas et Photius : ὑμεῖς, ὦ Μεγαρεῖς κ. τ. λ. : ... Ἱστορεῖ δὲ Μνασέας ὅτι Αἰγιεῖς οἱ ἐν Ἀχαΐᾳ καταναυμαχήσαντες Αἰτωλοὺς καὶ λαβόντες πεντηκόντορον αὐτῶν δεκάτην Πυθοῖ ἀνατιθέντες ἠρώτων τίνες κρείττους εἶεν τῶν Ἑλλήνων · ἡ δὲ Πυθία ἔχρησεν αὐτοῖς τὰ προκείμενα. Καὶ Ἴων δὲ Αἰγιεῦσι δοθῆναι τὸν χρησμὸν ἱστορεῖ. Τινὲς δὲ οἴονται Μεγαρεῦσιν εἰρῆσθαι αὐτὸν καὶ προφέρονται · Ὑμεῖς δ' ὦ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι, ὡς καὶ Καλλίμαχος ἐν τοῖς Ἐπιγραμματίοις.

ΣΥΝΕΚΔΗΜΗΤΙΚΟΣ

Pollux, II, 4, 19 : Παρὰ Ἴωνι τῷ τραγικῷ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Συνεκδημητικῷ καὶ σπανοπώγων τις ὀνομάζεται.

PHILOSOPHICUM IONIS OPUS, SIVE ΤΡΙΑΓΜΟΙ

1

Harpocr. s. v. Ἴων.

Ἀρχὴ ἥδε [1] μοι τοῦ λόγου · πάντα τρία καὶ οὔτε πλέον οὔτε ἔλασσον τούτων τριῶν [2]. Ἑνὸς ἑκάστου ἀρετὴ τρίας, σύνεσιν καὶ κράτος καὶ τύχη.

2

Clem. Alex. *Strom.*, I, 333, Sylb.; cf. Diogen. Laert., VIII, 8 :

Ἴων δὲ ὁ Χῖος ἐν τοῖς τριαγμοῖς καὶ Πυθαγόραν εἰς Ὀρφέα ἀνενεγκεῖν τινὰ ἱστορεῖ.

3

Plutarchus, *de Rom. Fortuna*, p. 316, d :

Ἴων μὲν οὖν ὁ ποιητὴς, ἐν τοῖς δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην αὑτῷ γεγραμμένοις φησίν · ἀνομοιότατον πρᾶγμα τῇ σοφίᾳ τὴν τύχην οὖσαν, ὁμοιοτάτων πραγμάτων γίνεσθαι δημιουργόν.

4

Idem, *Quæst. Sympos.*, VIII, 1 :

Οὐ φαύλως εἰπεῖν Ἴωνα περὶ τῆς τύχης, ὅτι πολλὰ τῆς σοφίας διαφέρουσα, πλεῖστα αὐτῇ ὅμοια ποιεῖ.

5

Johannes Philoponus ad Aristotelis II, περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς :

Πῦρ μὲν καὶ γῆν ὁ Παρμενίδης ὑπέθετο, ταῦτα δὲ μετὰ τοῦ ἀέρος Ἴων ὁ Χῖος ὁ τραγῳδοποιὸς, Ἐμπεδόκλης δὲ τὰ τέσσαρα ὑπέθετο.

1. Sic Harpocrationem correxit Lobeckius, *Aglaophamus*, I, p. 385.
2. Sic correxit Bentleius, *Ep. ad Millium*, p. 509, in *Opusculis philologicis*, 1781. Lipsiæ.

6

Stobæus, Ecl. Phys., I, p. 552 :

σῶμα τῇ μὲν ὑαλοειδὲς, διαυγὲς, τῇ δ' ἀφεγγές.

Vidi ac perlegi
a. d. 18 nonas jun. ann. MDCCCLXXXX
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector,
Gréard.

INDEX CAPITUM

PROOEMIUM I
CAPUT I. — 1. De Ionis genere atque ortu. — 2. Ion Athenas primum advenit. Ionis studia. — 3. Inter Ionem et Cimonem oritur amicitia; Ionis eum Æschylo et Sophocle consuetudo. — 4. De remissioribus Ionis in adolescentia moribus . . 1
CAPUT II. — De Ionis elegiacis carminibus 18
CAPUT III. — De Ionis satyrico dramate quod *Omphala* inscribitur.
1. Quid de Atheniensium rebus publicis Ion senserit et qua ratione sententiam suam expresserit. — 2. De scenicis poetis qui sub Omphalæ et Herculis nomine Aspasiam et Periclem persecuti sunt. — 3. Quo anno acta sit Ionis *Omphala*. — 4. *Omphalæ* argumentum 29
CAPUT IV. — De Ionis tragœdiis. 45
CAPUT V. — De dithyrambicis Ionis carminibus. 61
CAPUT VI. — De Ionis operibus prosa oratione conscriptis.
1. De historicis Ionis libris. — 2. De philosophicis Ionis libris 69
CONCLUSIO. 90
Appendix. — Quo anno natus sit Ion 93
Ionis fragmenta. 98

Le Puy. — Imprimerie Marchessou fils, boulevard Saint-Laurent, 23.